CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, A. VASCHALDE

SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA

TOMUS XXXVII

VERSIO

DOCUMENTA

AD ORIGINES MONOPHYSITARUM ILLUSTRANDAS

INTERPRETATUS EST

I.-B. CHABOT

LOVANII

E TYPOGRAPHEO MARCELLI ISTAS

MDCCCCXXXIII



PRAEFATIO.

Per quinque annos in manibus typothetarum procrastinata, tandem in lucem prodit versio nostra!

Documenta quae vulgavimus ad historiam Ecclesiae monophysitae in Aegypto et in Syria, saeculo sexto, spectant, et potissimum ad res gestas patriarcharum Theodosii alexandrini et Pauli antiocheni. De patriarchis qui eodem tempore catholicas ecclesias regebant (Alexandriae: Paulus tabennensis, Zoilus Apollinarius, Iohannes; Antiochiae: Ephremus, Domnus, Anastasius, Gregorius), ne verbum quidem occurrit.

Alexandriae, post mortem Timothei (7 febr. 535), in huius locum, instinctu Theodorae imperatricis, electus est Theodosius, refragante tamen plebe quae Gaianum, Phatasiastarum asseclam acclamavit. Is autem Alexandria mox expulsus est (24 maii), et mense iunio Theodosius, secundum morem antiquum, epistulam synodicam misit patriarchae antiocheno, Severo, tunc exsulanti, qui ei respondit (26 iulii). Ab his epistulis incipit collectio.

Post autem duos annos, Theodosius Aegyptum relinquere et Constantinopolim petere coactus est; cum concilium Chalcedonense pertinaciter reiceret, depositus est et expulsus. At mox, favente Theodora, in urbem imperialem reversus est, et in ea reliquum vitae tempus quiete vixit. Obiit 19 iunii 566.

Interim commercium epistularum cum clero Alexandrino sibi addicto et episcopis habuit, necnon cum episcopis, clericis et monachis patriarchatus Antiocheni. Ad eos scripsit et reciprocas litteras accepit, quae partim in nostra collectione servantur.

Severus patriarcha mortuus est anno 538. Nonnisi circa annum 557 successor ei datus est Sergius, qui Constantinopoli ordinatus, ab urbe nunquam discessit et post tres annos diem supremum obiit. Anno 563, Theodosius syncellum suum, Paulum Bethuchamensem, in Orientem misit, et Iacobo, cognomine Ba-

radaeo, episcopo Edessae, qui curam ecclesiarum monophysitarum sollicite agebat, secreto mandavit ut legatum in patriarcham Antiochiae consecraret; quod revera factum est initio anni 564.

Ad hoc negocium plura Documenta pertinent, necnon synodicae epistulae quas Paulus Theodosio et Theodosius Paulo, peracta consecratione sibi invicem miserunt. Alia spectant ad conatus episcoporum ut se et plebem suam tuerentur a doctrina tritheitarum, cui duo socii Iacobi Baradaei, Conon nempe episc. Tarsi et Eugenius episc. Seleuciae Isauriae, favebant. Adversus hanc doctrinam tractatus a Theodosio editus est, animos theologorum retinere haud indignus.

Anno 565, Paulo antiocheno mandavit Theodosius, ut in Aegypto vices suas ageret et episcopos presbyterosque ordinaret. Sed Paulus, re nondum perfecta et audita morte Theodosii, regressus est in Syriam; paulo post, exeunte anno 567, Constantinopolim rediit. Anno vero 571, edictum Iustini, pacta condicione, recepit et cum Chalcedonensibus communicavit; quod crimini ei verterunt Orientales, seque ab eo separaverunt, donec paenitentiam egerit.

Sedes patriarchalis Alexandriae iam a novem annis vacabat cum anno 575 Longinus, episc. Nubiorum, archimandritam syrum, nomine Theodorum secreto ordinaret, insciis Alexandrinis. Hi vero, irati, statim alium patriarcham elegerunt, Petrum, senem diaconum, cui manus imposuit Iohannes, episc. Cellarum. Hinc novum schisma in ecclesia monophysita exortum. Circa institutionem istorum patriarcharum, plura adnotantur in apologia Pauli antiocheni, anno 580 scripta a quodam Sergio recluso, nostris Documentis inserta.

Paulus quidem, in Aegypto latitans, consecrationi Theodori non adfuit, sed eam probavit. Theodoro, qui ad eum epistulam synodicam miserat, respondit, concilium Chalcedonense diserte damnando. Ambae epistulae ultima sunt Documenta collectionis. Paulus anno 577 Constantinopolim reversus ibi privatim vixit; mortuus est anno 581.

Haec sunt summa capita historiae quam illustrat editio nostra; etiam nonnullis Iohannis Ephesini narrationibus interpretandis non parum prodest.

Ad complendam bibliographiam, adde:

Ang. Maius, latine vulgavit excerptum ex Epistula synodica Theodosii ad Severum (*Spicilegium Romanum*, t. III, p. 711; inde *Patr. Gr.*, t. LXXXVI, col. 277), et excerptum ex Epistula synodica Severi ad Theodosium (*Spic. Rom.*, t. III, p. 722). Hanc versionem, ex arabica translatione [cod. Vatic. arab. CI] factam, inter schedas Assemani reperierat editor.

H. G. Kleyn, *Iacobus Baradaeus, de Stichter der syrische monophysietische Kerk* (Leiden, 1882); p. 164-194, collectionem summatim descripsit.

Ern. Honigmann, *Nordsyrische Klöster in vorarabischer Zeit* (in *Zeitschrift für Semitistik...*, t. I [1922], p. 15-32; rem geographicam iterum attigit et dissertationem Th. Nöldeke emendavit atque complevit.

Th. Hermann, *Patriarch Paul von Antiochia und das Alexandrinische Schisma von Jahre 575* (in *Zeitschrift für Newtestam. Wissenschaft*, t. XXVII, [1928], p. 263-304).

E. W. Brooks, *The patriarch Paul of Antioch and the Alexandriner schism of 575* (in *Byzant. Zeitschrift*, t. XXX [1930], p. 468-473).

Praecipua harum dissertationum argumenta e Documentis adducuntur.

Quod autem in praefatione ad textum diximus, codicem nempe unicum esse, hoc intellegendum est de tota collectione; quaedam enim documenta seorsum exstant in aliis codicibus Musei Britannici, videlicet: in cod. *Add.* 12155, Theodosii epistula, et eius Tractatus theologicus cum sua praefatione (vide hic p. 22-52); in cod. *Add.* 14541, Tractatus, ab initio mancus, cum epistula canonica (p. 55) et formula adhaesionis (p. 58). Canones (p. 57) seorsum quoque inveniuntur in codd. *Add.* 12155, 14527, 14610; et in Bibl. Nation. Paris. *Syr.* 62.

Sphalmata in editione textus deprehensa, et mendosae codicis lectiones emendandae in calce huius voluminis recensentur. Si quaedam aciem oculorum effugerunt, condonabit lector benevolus.

I.-B. Ch.

*EPISTULA SYNODICA VENERABILIS ET SANCTI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIAE THEODOSII, AD BEATUM MAR SEVERUM PATRIARCHAM ANTIOCHIAE. Mense iunio [1]. * p. 5.

Dum quidem intendo [admonitioni] [2] apostolicae et recogito 5 magnitudinem ministerii summi sacerdotii quotque praeclaris dotibus ornari iussus sit qui accedit ad praefecturam ecclesiae, [tremo], et ex omni parte invenio me a cuntis [3] remotum et orbatum esse; [idcirco] dum considero fel amarum quod Calumniator nunc [fundit] in filios ecclesiae sanctae, [summa tristitia 10 afflictus], sicut canit psalmus [4]: «deveni in profundum aquarum et gurges submersit me». Dum autem mecum mente magnam Dei misericordiam revolvo, — qui facit omnia, sicut scriptum est [5], et magis quam petimus nos et cogitamus; et cuius virtus in infirmitate perficitur [6], cum per contemptos et reprobatos 15 sicut me auxilium ineffabile affert servis suis [7]: sanctitatem enim tuam erexit nobis Deus Sabaoth, virgam quae revera ferat fructus apostolicos et evangelicos, ne forte impietas, quae nunc germinavit sicut radix amara, arvum spiritale ecclesiae [8] [invadat], et salinae [Sodo]mae [9] ac Gomorrhae assimilaretur, — * ad spem * p. 6. 20 bonam erigor et « quare conturbata es, anima mea, quare contristata es? » sicut propheta psalmista [10] dico; et confidere eam iubeo; quia dum sanctitas tua, post Deum, eam adiuvat, et dum innititur precibus ceterisque adiutoriis spiritalibus et sapientibus, tempestas quae surrexit quiescere debet, ipso quidem 25 Christo caelesti salvatore procellae imperante et in quietem compescente, atque in portum suae voluntatis navim rationalem ecclesiae deducente. Quis enim in generatione nostra, o sancte, ita praefuit arci eius spiritali, et divinitus se extulit in saxum spei in Christo, firmum et immutabile, et pure didicit 30 mysteria divina, instar patrum beatorum et sanctorum, ut venerabilis sanctitas tua, vigilans et diligens? Aut quis nunc inter pontifices, reputatur sicut vos, o servi magni et ministri Dei,

[1] Anno 535. — [2] Voces uncis inclusae supplentur quoad sensum, ubi textus mutilus aut evanidus est. — [3] Vide correctiones in textum. — [4] *Ps.* LXVIII, 3. — [5] *Eph.*, III, 20. — [6] Cfr. II *Cor.*, XII, 9; I *Cor.*, I, 28. — [7] Fortasse quaedam exciderunt. — [8] Duae aut tres voces evanidae. — [9] Supple nomen in textu. — [10] Cf. *Ps.* XLII, 5.

acquisivisse et sibi comparavisse omnes virtutes spiritales: quas symbolice demonstrant varietas et dignitas totius vestimenti beato summo pontifici Aharoni impositi cum per figuram sacrificaturus erat? Certamina enim multa et admirationis digna, quae a longo tempore pro religione certasti, non minus quam patres nostri venerabiles, hoc tempore non aggredior, sed omitto dicere, ne inveniar aliud facere quam quod nobis propositum et curandum est.

Respiciens itaque adiutorium magnum Dei et unionem communionemque sanctitatis tuae, ex qua addita est mihi vigilantia invincibilis, cum alacritate accepi gubernaculum ecclesiae sanctae ad quam dirigendam, nescio quibus consiliis iudiciorum Dei inscrutabilium assumptus sum, cum * apud nos vita functus esset pater noster, sanctae memoriae dignus, Timotheus. Et gradiens quidem in vestigia legum paternarum hanc epistulam facio, paci et concordiae congruentem, quae etiam synodica de more appellatur; et simul atque notum facio tuae sanctitati quid mihi obvenerit [1], una etiam manifesto unionem et communionem vobiscum in negotio fidei.

Declaro itaque me unum tantum fidei symbolum recipere, quod patres laudatissimi proposuerunt trecenti decem et octo qui convenerunt Nicaeae, quorum cogitationes a Spiritu sancto dirigebantur; illud autem confirmavit et synodus sancta centum et quinquaginta patrum sanctorum, quae congregata est in urbe regia adversus impios pneumatomachos, et synodus altera quae congregata est Ephesi adversus impium Nestorium: cui praeses erat Deum diligens et gloriosissimus pater noster episcopus Cyrillus, qui per illa xii Capitula irreprehensibilia et divinitus inspirata impudentem Nestorium sagittavit. Cum his xii Capitulis venerabilis patris nostri Mar Cyrilli, recipio etiam librum Henoticon ecclesiarum Zenonis, qui bono fine quievit, ad reprobationem synodi chalcedonensis et epistulae impiae Leonis *editum*.

Confiteor [2] quidem Deum Verbum consubstantialem Patri, qui est ante saecula, lumen de lumine, verum de vero, imaginem vivam et hypostaticam genitoris sui, incorporatum et inhuma-

[1] Ad litt.: «id quod sum in eo»; vide correctiones. — [2] Incipit excerptum ex arabica versione; *Patr. Gr.*, LXXXVI, 277.

natum esse e Spiritu sancto et sancta deigenitrice semperque virgine Maria. Illud autem « inhumanatum », eis qui fideliter audiunt vocem, perfectam tribuit notionem mysteriorum. Ostendit enim Verbum, quod est natura * Deus, vere factum esse hominem dum mansit Deus, et voluntarie descendisse ad exaninationem: nam nihil praetermisit ex his quibus constat homo, quales sumus; sed hypostatice univit sibi sine mutatione carnem nobis connaturalem et ad similitudinem nostram patiendi capacem, cui inest anima rationalis et intellectualis, et in omnibus nobis assimilatus est praeter peccatum. «Peccatum enim non fecit, sicut dicit scriptura divina,[1] nec dolus inventus est in ore eius.» Decebat enim, decebat ut natura quae in Adamo devicta est, eadem in Christo cingeret coronam victoriae de morte. Idcirco, huiusmodi fuisse rationem eius inhumanationis nobis tradens, divinus Paulus ait [2]: « Quia filii participaverunt carni et sanguini et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem suam destrueret eum qui habebat imperium mortis, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis toto tempore eorum vitae obnoxii erant servituti ».

Si enim nos, qui devicti fuimus, aliam naturam habemus, aliam vero assumpsit Verbum Dei; aut si carnem, quam e nobis assumpsit et sibi hypostatice univit, impassibilem et immortalem ab ipsa secum unione reddidit, sicut quidam impie ausi sunt dicere, vana est fides nostra. Non enim esset quid magni quod Satanas a Domino devinceretur, nisi ipse Christus, reparans cladem nostram, per corpus suum nobis consubstantiale et passionibus patiendis irreprehensibilibus mortique aptum hoc fecerit; neque aculeus peccati hebes factus esset, neque imperium mortis solutum esset. Si autem « semen Abrahae sumpsit et in omnibus assimilatus est nobis, eius fratribus, praeter peccatum», quemadmodum dicit sapiens Paulus [3], et si per mortem quam voluntarie toleravit in carne sua, patiendi passiones irreprehensibiles * naturalesque et mortem capaci, devicit eum qui tenebat imperium mortis, dum mansit impassibilis inter passiones in quantum est Deus, nos valde congruenter de victoria gloriamur, quia soluti sumus e iugo servitutis.

[1] I Petr., ii, 22. — [2] *Hebr.*, ii, 14-15. — [3] Cf. *Hebr.*, ii, 16, 17.

Quis igitur non mirabitur accurationem librorum sacrorum, qui ex omni parte recte fluunt: et eisdem verbis sive phantasiam Eutychis eiusque similium eiecit, sive separationem et divisionem Nestorii redarguit. Dicunt enim in similitudinem filiorum Christum carni et sanguini participavisse; et ne quis eorum qui illusionem et phantasiam fingunt, dictum « sicut nos » per figuram aut typum, non autem secundum ipsam essentiam vere sicut nos patiendi capacem *intellegeret*[1], hunc sensum excludunt eo quod iisdem addunt: « ut morte sua destrueret eum qui tenebat imperium mortis ». Rursum autem, adversus eos qui dividunt unum Christum in duas naturas decertandum est per similitudinem cuiusvis pueri. Quemadmodum enim puer est « sicut nos » et homo qui anima corporeque constituitur, etsi ex duobus sit, una hypostasis est et una natura appellatur, dum anima in carnem non conversa est neque corpus in essentiam animae mutatum est: ita et Christus, cum ex duabus sit, e divinitate et humanitate, quae perfecte subsistunt in propria ratione, unus est et non dividitur, quamvis sine confusione appareat in eo unio ineffabilis, sicut ostendit doctrina infallibilis librorum sacrorum. Qui unus est e Trinitate sancta, Verbum hypostaticum Dei Patris, univit quidem sibi hypostatice carnem nobis connaturalem et sicut nos patiendi capacem, animatam anima rationali et intellectuali, et per totum tempus oeconomiae reliquit eam passibilem et mortalem, propter * scopum oeconomiae, sicut praedictum est. Et quia patiendi capax erat, passiones naturales et voluntarias irreprehensibilesque passus est, et ipsam mortem in cruce; et per miraculum resurrectionis Deo congruentis constituit et reddidit hanc *carnem* impassibilem et immortalem et omnino incorruptibilem. Dicit enim pater noster sapiens Cyrillus: « Ipse primus in incorruptibilitatem suscitavit carnem suam, et primus adscendere fecit illam in caelum ».

Dum igitur ita sentio, mutationes quae ab utraque parte factae sunt adversus veritatem anathematizo, necnon viros impios atque seductores, qui principes erroris facti sunt, dico autem Valentinum, Marcionem, Manem, Arium, Macedonium, Eunomium, Apollinarium, Eutychen; eos quoque qui blaterarunt et

[1] Sensus vix dubius; syntaxis tamen impedita.

impie docuerunt ab ipsa unione cum Verbo, impassibilem et immortalem fuisse carnem e nobis assumptam, et inde illusionem et phantasiam inducunt in mysterium magnum inhumanationis verae et immutabilis Domini nostri. Rursum, anathematizo Paulum samosatenum, et Diodorum, et Theodorum, et Nestorium, et Theodoretum, et Andream, et Hibam, et Eutherium, et Alexandrum hierapolitanum, et Irenaeum bigamum, id est duarum uxorum, et Cyrum, et Iohannem ex Aegis Ciliciae, et omnes qui ausi sunt loqui adversus duodecim Capitula sancti Cyrilli, simulque verba immunda et impura in contrarium ab eis prolata; et Barsaumam persicum cum eius canonibus perniciosis; et cum his omnibus synodum Chalcedonis et Tomum Leonis; et omnes qui dixerunt * aut dicunt in uno Christo duas naturas post unionem ineffabilem, et non confitentur esse unam personam et unam hypostasim Verbi Dei incarnatam.

In his doctrinis apostolicis et paternis et divinis et irreprehensibilibus, o frater noster sancte, ego et omnes ecclesiae quae pendent a sede evangelica Alexandriae dexteram communionis vobis damus. Decet itaque sanctitatem tuam, per epistulas responsionis tuas, nobis laetitiam afferre, et me debilem adiuvare orationibus omnique ratione quae congruit sacerdotio et digna est vitae vestrae sanctae, quae prae omnibus honorat caritatem christianam; ut possim, baculo sermonis, a grege rationali Christi lupos nocivos avertere et in longinquum omnes fugare, gregemque sine detrimento servare, dum pascit in loco pascuae spiritalis[1], et ad aquas quietis educitur, et cibo potuque spiritalis pietatis saginatur.

Saluta fraternitatem quae apud te est; quae vero nobiscum est in Domino te salutat. Ad honorem autem sanctitatis tuae misimus, latores epistulae nostrae Eusebium, Uranium, Thomam, Iohannem, Timotheum, episcopos Deum diligentes; Ammonium, Theopemptum, Alphaeum, pios sacerdotes, et Iohannem, Epimachum, Epiphanium, venerabiles diaconos, qui in mandatis habent ut viva voce exponant sanctitati tuae me penitus tuo amori addictum esse.

Explicit epistula synodica venerabilis et sancti Theodosii archiepiscopi Alexandriae ad beatum Severum archiepiscopum Antiochiae civitatis.

[1] Cf. *Ps.* XXII, 2.

*p. 12. RURSUM, EPISTULA SANCTI ET ARCHIEPISCOPI PATRIARCHAE ANTIOCHIAE SEVERI: QUAE SCRIPTA FUIT AD BEATUM THEODOSIUM, ARCHIEPISCOPUM ALEXANDRIAE; QUAE ETIAM SYNODICA APPELLATUR. Indictione decima tertia, mense iulio, *die* vigesima sexta.[1]

Priusquam recepissem scripta synodica Summitatis tuae honoratae et fraternae, cum mihi dictum esset de tua designatione divina ad sedem evangelicam, ob afflictiones quae tibi acciderunt religionis causa, valde dolui, ad implendam legem apostolicam quae imperans dicit[2] « cum unum membrum patitur omnia membra patiuntur ». Ex altera parte, etiam te beatum pronunciavi quod statim gustaveris periculum religionis, per quam ad robur constrictus fuisti, in ipso partu flatus divini Spiritus, quo summus pontifex natus es, eius qui spirat ubi vult: vult autem ubi est lex, dum vero ab eis qui turbulenter et citra regulam eum invocant recedit, verbis prophetiae[3] eos alloquens: « Quando expandetis manus vestras, avertam a vobis oculos meos, et si multiplicaveritis orationem, non audiam: manus enim vestrae plenae sunt sanguinis ». Nec mirum est si haec acciderunt vobis, sicut et Paulo magno; qui, statim ac adscendit ab aquis Iordanis, postquam ab Ḥanania baptizatus est, opus et apostolatum doctrinae incipiebat, et commovebat, sicut scriptum est[4], Iudaeos qui habitabant Damasci; quique ut fugeret manus eorum qui volebant eum occidere, cum portae civitatis clausae essent, in sporta e muro demittebatur et evadebat; et fugitivus factus est qui postea *p. 13. * operator fuit miraculorum multorum, et portentorum et virtutum multarum, quemadmodum ipse scribit et dicit, et operum inspectio demonstravit. Decebat enim ut doloribus probaretur et quasi in cella aeraria primis ictibus percuteretur, ut in seipso comprobaret testimonium divinum quod praedixerat Christus[5]: « Vas est mihi electum, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel; ego enim ostendi ei quantum passurus sit propter nomen meum ». Hae igitur difficultates quae acciderunt Perfectioni tuae, nobis credendum est ad hanc probationem permissas fuisse, consiliis ineffabilibus sapientiae supernae. De his enim qui inter huiusmodi certamina

[1] Anno 535. — [2] I *Cor.*, XII, 26. — [3] Is., I, 15. — [4] *Act. ap.*, IX, 22. — [5] *Act.*, IX, 15.

probantur, unus e sapientibus divinis ait[1]: « Deus probavit eos, et invenit eos se dignos, et tanquam aurum in fornace probavit eos ».

Omnino igitur evidens est: dum sancti episcopi in sanctuario stabant manusque super caput tuum honoratum imponebant: et verbis mysteriosis ineffabilibusque gratiam Spiritus philanthropiamque gubernatricem ab alto adducebant, et te ostendebant filium Aharonis, id est, haeredem legitimum sacerdotis qui defunctus est et apud Deum migravit; non est *enim* aliud medium quo induatur vestis sacerdotalis, de qua ait scriptura divina: « vestis sanctitatis quae est Aharonis, erit filiis eius post eum, ut ungantur in ea et consecrentur manus eorum[2] ». Hac igitur de causa, adversus congregationem Core — quae, quanquam e tribu Levi erat, constituta quidem ut ministraret ministerium servitii in tabernaculo foederis, ambiebat tamen illegitime gloriam *p. 14. * et honorem summi sacerdotii, dum insurgit in Aharonem, fautoresque invenit audaciae et tyrannidis Dathan et Abiram, viros valde inflatos et sperantes se recepturos primatum in congregationibus filiorum Israelis, cum aliis numero ducentis et quinquaginta[3], — Moyses magnus minister mandatorum divinorum, et, sicut scriptum est[4], fidelis in omni domo Dei, insurrexit viriliter et principaliter. Primum igitur in faciem suam cecidit, et humilitate cum Deum suum imitaretur, leniter loquebatur ut aperiret mentes eorum intellegantque vere non esse in humana potestate ut omnes qui id cupiunt assumant sibi munera et dona quae desursum descendunt a patre luminum[5]; dixit enim: « Notum faciet Deus qui eius sint et sanctos applicabit sibi, et quos non elegit non applicabit sibi[6]. » Et verba iterans, dum conatur ut eos sui gradus cognitores efficiat, dicebat: « Audite me, filii Levi; num parum vobis est quod separavit vos Deus Israel a coetu Israelis et sibi vos applicuit ut ministraretis ministerium tabernaculi Domini, et staretis coram coetu et serviretis ei. Et appropinquare fecit *ad se* te et fratres tuos, filios Levi, tecum; et vultis sacerdotio fungi tu et universa congregatio tua quae congregata est adversus

[1] *Sap.*, III, 6. — [2] *Exod.*, XXIX, 29. — [3] *Ex.*, XVI, 2. — [4] Cf. *Num.*, XII, 7. — [5] Cf. IAC., I, 17. — [6] *Num.*, XVI, 5.

Deum. Et Aharon, quid est quod murmuretis contra eum? »[1].
Attamen non erubuerunt neque persuasi sunt his verbis sapientibus et prudentibus; sed impudentia superbiae mentis capiebantur, confidentes in manu eorum qui cum eis perturbationem excitabant et ipsis omnia persuadebant, donec iudicium Dei excitatum est, et ex eis qui adversarii insurrexant, alii horribili apertae terrae abysso absorpti sunt et viventes in infernum descenderunt, sicut dicit liber divinitus inspiratus[2]; alii vero materies facti sunt * ignis; et haec poena audaciae eorum inordinatae inflicta est.

Cum autem haec iudicia divina et cogitationes optimas in anima mea verterem et volverem, venerunt qui missi erant a sanctitate tua ad debilitatem meam, episcopi Deum diligentes et clerici casti, afferentes scripta salutationis tuae, communionis sacerdotibus congruentis, et concordiae mentis canonicae ecclesiasticaeque. Eos cum iucunde vidissem[3] et amplexus essem, gaudens glorificavi Deum pacis, Iesum Christum; accepi quae missa erant, et eis super oculos meos impositis, mihi fingebam quod in illis te, pastorem sanctum et summum sacerdotem, quasi mihi propinquum viderem et fraterne amplectarer. Cum autem solus fuissem et nemo mecum esset: — valde enim carum mihi est sedere solitarium, maxime in negotiis de rebus divinis curandis, — mente magis legebam scripta quam oculis corporeis; et e sensu eorum quae scripta sunt in historiis sacris quae modo recitavi, inveni etiam his narrationibus te imaginem perfectam Aharonis constitui. Cum enim coetus israeliticus indocilis et inobediens — his enim et similibus nominibus Deus universi vocabat eos, — audaciam in obedientiam non mutaret, sed efferentiores essent in principatum divinum sacerdotii, mandatum accepit Moyses ut e singulis principibus duodecim tribuum, — tot enim tribubus universus populus dividebatur et definiebatur, — unam * virgam acciperet et omnium virgas in tabernaculo foederis poneret coram testimonio, ut scriptum est[4]. Haec autem erant: arca foederis, tabulae lapideae a Deo scriptae, manna repositum in vase aureo; quae per miraculum manifestabant

[1] *Num.*, XVI, 8-11. — [2] *ibid.*, 30. — [3] In ms. potius sit « accersivissem ». Vide correctiones. — [4] *Num.*, XVII, 4.

* p. 15.
* p. 16.

aperte et testabantur, et revocabant in memoriam, his *viris* immemoribus et ignorantibus, virtutem divinam, quae ineffabiliter portenta operatur; et hac de causa testimonia vocabantur, et tabernaculum in quo reponebantur eadem ratione nomen habebat, et tabernaculum foederis appellabatur. Eodem sensu Paulus ad Haebraeos scribebat, dicens[1]: « Contestante in eos Deo per signa, et miracula, et virtutes varias. » Moyses igitur, mente ornatus et divinorum manifestator, et caput congregationis, quod iussus erat fecit; et die sequenti inspexit virgas, sicut mandatum acceperat; et vidit ceterorum virgas, quales erant natura sua, virgas siccas, virgam[2] autem Aharonis produxisse folia et amygdalas emisisse, in qua quasi in typo praesignificabatur nobis Emmanuel, qui est virga regni, et quasi e radice Deo Patre ortus et natus est, sine principio et sine tempore, et cum eo et cum Spiritu sancto regnat in caelestia et terrestria. In fine autem dierum propter nos incarnatus est et inhumanatus est, sine mutatione, et idem ipse ortus est e radice Iesse et Davidis secundum carnem, e quibus est virgo deigenitrix Maria. Et summus sacerdos et apostolus salutis nostrae fuit: et hac ratione etiam virga sacerdotii apparuit, vigilantiam disciplinae evangelicae docens nos, et in eis qui credunt in eum amygdalas producere fecit folia et fructus virtutis. Dicunt enim qui haec scrutati sunt, * virgam nuceam et ipsas nuces vigilantiam naturalem operari in illis qui eis uti solent. Id autem ad prophetam Ieremiam ipse Deus prophetarum dixit metaphorice[3]: « Quid vides, Ieremia? Et dixi: Virgam nuceam video. Et dixit: Bene vidisti, quia vigilo super verba mea ut illa faciam ».

Quemadmodum enim in negotio virtutis labor et sudor qui eam antecedunt amari quidem sunt, finis autem eius clara et iucunda: ita etiam nux. In involucro enim externo duritiem et acerbitatem ostendit, in parte vero intus reposita albedinem et alimentum. Hanc autem virgam inveni in scriptis tuis, o frater noster dilecte et honorate, dum vocationem summi sacerdotii definit et tibi dat. « Nemo enim sumit sibi honorem, sed dum vocatur a Deo tanquam Aharon», sicut ait Paulus[4], ubi Hebraeis exponit altitudinem scripturarum legalium. Nonne et ipse

[1] *Hebr.*, II, 4. — [2] Incipit excerptum e vers. arabica; MAI, *Spicil. rom.*, III, 722. — [3] IER., I, 11. — [4] *Hebr.*, V, 4.

* p. 17.

Isaias id nobis aperte nunciabat dicens[1]: « Egredietur virga de radice Iesse, et prodibit cacumen e radice eius, et requiescet et resedebit super illud spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis ». Qui enim est Verbum hypostaticum et sapientia substantialis Dei Patris, Filius unicus per quem omnia facta sunt, plenus virtutis et gloriae et omnium quae necessario naturaliter Deo competunt, et nihil inferior est Deo Patre neque Spiritu sancto, exinanivit semetipsum; non quidem desinens esse perfectus: permansit enim perpetuo id quod erat, sed quia sumpsit oeconomice infirmitates humanas et nostris participavit, et nobis assimilatus est in omnibus praeter peccatum, quod vere factus est homo, et sicut * virga germinavit e radice Iesse.

Significat autem virga etiam germinationem et conceptionem absque semine, e Maria sancta semperque virgine. Proprietas enim est virgae ut oriatur e radice naturaliter, non autem e copulatione aut commixtione nascatur. Ipse enim Deus Verbum, virtus ineffabilis Patris, sicut oeconomia mysteriorum librorum evangelicorum ostendit, illapsus est Virgini, et ex ea adventuque ineffabili Spiritus sancti, carnem anima rationali praeditam sibi univit hypostatice. Una cum constitutione carnis et fluxu existentiae, modo Dei proprio qui exsuperat omnem intellectum et sermonem, unitus est. Non enim antecedit neque ab intellectu deprehenditur existentia carnis prior unione cum Verbo; sed ex utraque, e divinitate et humanitate, quae perfectae sunt in propria ratione, unus factus est Emmanuel, nomen magnum et indivisibile. Vere magnum est altum mysterium religionis, quod ostendit nobis Deum Verbum, qui est supra omne principium et ante omnia saecula, proprietates carnis sine dubio assumpsisse, cum factus sit homo absque mutatione, et eumdem esse qui conceptus est et natus est postquam complevit exactum tempus gestationis, confitendum et firmiter credendum, cum minime detrimentum passa sit immutabilitas naturae divinae; et genitricem quidem eius, Deigenitricem et semper virginem demonstravit, proprie et vere, in ipso splendore partus et post partum, quod esse virginem non amisit; et Spiritum sanctum, qui essentialiter fuit in eo tanquam Deo, et etiam supra eum in

[1] Is., xi, 1, 2.

quantum factus est homo; ab ipso enim utero per Spiritum suum constituebat Deus carnem eius et sanctificabat et ei uniebat: nam haec omnia indivisibiliter simul peragebantur. Quod ad * Iordanem aperte manifestabat, cum baptismo nostro baptizaretur: non quod baptizari indigeret, sed ut aquas sanctificaret et fundamentum poneret regenerationis nostrae, et Spiritum nobis, non sibi, acciperet. Haec enim omnia sapienter et oeconomice propter nos agebantur, quasi in principio altero generis nostri.

Idcirco non puduit eum ut dicatur accipere Spiritum suum: quod principaliter per prophetiam Isaiae significat, dum ait[1]: « Spiritus Domini super me; ideo unxit me »; quasi dicat: Idcirco Spiritus, qui est in me naturaliter, fuit super me, ob causam qua Christus (unctus) appelatus sum, cum homo factus essem. Et haec *causa* est visitatio nostra et sanatio salutaris, quod postea ostendit dicens: « Evangelizare pauperibus misit me, et sanare contritos corde, et nunciare captivis dimissionem et caecis visum ». Attamen Spiritus, qui ratione quidem humana et oeconomice erat supra eum, divinitus autem in eo, perfectus erat, et tanquam Deus in Deo, non autem tanquam in prophetis *ut* pars operationis. Et ideo dicit vox prophetica Isaiae quod requiescet super eum in plenitudine operationum quae numerantur septem: « Et requiescet[2] super eum spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus [consilii et fortitudinis, spiritus][3] scientiae et pietatis; et implebit eum spiritus timoris Dei ». Numerus enim septem apud Hebraeos significativus perfectionis est. Ita enim et ipse Iohannes, praecursor et baptista et maximus inter natos mulierum, prophetae ad instar dicit de eo[4]: « Ego non novi eum, sed qui misit me baptizare in aquis, dixit mihi: Super quem videbis Spiritum descendentem et manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu sancto ». Illud enim: « manentem super eum », aperte demonstrat illum non quasi * extraneum, sed quasi proprium et connaturalem mansisse super eum. Propterea, sicut decet Deum, ipse operabatur per Spiritum sanctum; et donum participationemque Spiritus eis qui credunt in eum concedebat; et per ipsum patrabat signa divina, cum essentialiter sit in eo, et non quasi virtute

[1] Is., lxi, 1; cf. Luc., iv, 18. — [2] Vide correctiones. — [3] Haec lapsu omissa sunt. Cf. supra, p. 10. — [4] Ioh., i, 33.

extranea utebatur, ut erat virtus operativa in prophetis. Non enim sicut hi, in nomine Domini signa perficiebat, sed ipse erat Dominus et Deus. Potestate manifesta et regia leproso dicebat[1]: « Volo, mundare » et, una cum voce, mundationem morbi concedebat. Procellae maris imperabat[2]: « Tace, obmutesce », et faciebat tranquillitatem magnam, ita ut non videatur fuisse tempestas et procella. Ipse enim est qui ab initio circumdedit illud terminis et portis, dicens[3]: « Hucusque venies et non procedes ultra, sed in sinu tuo comminuentur fluctus tui ». Eodem modo, alio tempore[4], cum exorta esset procella flatu ventorum contrariorum, et prope erat navicula ut subverteretur onerata discipulis et apostolis, ipsis visus est ambulans super aquas, quasi elementum fluidum factum fuerit aridum gressibus eius et non secundum naturam flueret et dispergeretur. Eidem potestati sublimi et divinae congruebat mortuum quatriduanum, institis ligatum in apparatu sepulturae, clamando[5]: « Lazare, veni foras », vivum ostendere et celeriter e sepulcro miraculose exsilientem. Aliter quidem legislationem tractabat, sed pariter cum honore Deo et legislatori competente, dum stabilit et exponit leges evangelicas; quia ipse erat qui dedit legem antiquam cum Patre et Spiritu sancto. Idcirco cum exaltaret nos ab illo *duce umbratilium ad mentem perfectionis evangelicae, dicebat[6]: « Audistis dictum fuisse antiquis: Non occides; qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Quicunque irascetur inaniter fratri suo damnandus est iudicio ». Et iterum: « Ego autem dico vobis, qui respicit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo. Ego autem dico vobis: Nolite unquam iurare. Ego dico vobis: Diligete inimicos vestros ». Et ubique ostendebat, per ea quae loquebatur divinitus et cum imperio, se esse Deum Verbum, unam e personis Trinitatis in quibus una est essentia et divinitas: quae est increata et ante omnia est; qui regnat super omnem creaturam, cum Patre et Spiritu, incarnatus est et inhumanatus est; non quidem in humilitatem oeconomiae honorem principalem mutavit, neque esse Verbum et Deum et Filium ante saecula, in conversionem carnis mutavit, neque carnem in essentiam divi-

* p. 21.

[1] MATTH., VIII, 3. — [2] MARC., IV, 39. — [3] *Iob.*, XXXVIII, 11. — [4] MATTH., XIV, 26-28. — [5] IOH., XI, 43. — [6] MATTH., V, 21 et seqq.

nitatis convertit. Nam impossibile est, sive ut divinitas commutetur in aliquid creatum: cum talem se habeat eius natura ut « sit », et idcirco vocatur « qui est »; sive ut caro, quae est creata, in naturam increatam abeat, sicut corpora fluida et liquida quae in mutua commixtione a manifestatione proprietatum suarum abstinent. Vis enim pura, vera et non mixta incarnationis ineffabilis dat nobis ut intellectu percipiamus distinctionem naturarum et distinctionem essentiae earum quae in unionem convenerunt, dico autem divinitatem Verbi et carnem nobis congenerem et connaturalem, quam e sancta virgine Maria univit sibi hypostatice; etiam indivisionem mysterii demonstrat, cum significet unum qui perfectus est e concursu duorum et compositione *ineffabili. Evidens est etiam unam naturam et hypostasim Verbi, quae citra mutationem incarnata est, et supra omnem intellectum inhumanata est, merito unum πρόσωπον videri, et operibus nobis ostenditur sine discrimine eumdem esse Deum et hominem, seu Deum qui homo factus est. Et, qui est Deus et filius Dei Patris ante saecula non abhorruit fieri filius hominis et Davidis et Abrahami. Neque post unionem in duabus naturis aut in duabus hypostasibus constituitur aut agnocitur: quarum una quidem operationes assumat, altera autem contemptus et dolores humanos divisim sustineat.

* p. 22.

Haec enim ad divisionem Nestorianorum pertinent, aut potius Iudaeorum. Nobis enim unus ex duabus naturis, sicut antea diximus, unus est Emmanuel. Ea tamen e quibus constat, non miscuit neque confudit: distincta enim sunt in ratione sua. Neque post unionem in dualitatem naturarum dividitur, sed idem ipse sine divisione operatur divina et patitur voluntarie passiones ad dispensationem pertinentes humanasque et omnia quae recedunt a pollutione peccati: « Peccatum enim non fecit, neque dolus inventus est in ore eius[1] ».

Propterea, cum ieiunium quadraginta dierum pro nobis ieiunasset, dolorem famis voluntarie accepit, cum locum daret probationi Calumniatoris; ideo ut — cum iam in eo esset ut staret coram ipso et diceret[2]: « Dic ut lapides isti fiant panes » ceteraque sua venenosa seductionis plena, quibus Adamum primum

[1] I PETR., II, 22. — [2] MATTH., IV, 3.

ad terram deiecit, — et devinceretur dum pugnat cum Deo qui dat cibum omni carni, et fieret debilis nobisque devictu facilis dum huiusmodi certamina instituit [1].

Non enim tanquam Deus tantum nos liberavit, cum resolvit virtutem mortis, quae in nos praevalebat; sed etiam ianua * et via factus est nobis ad vitam beatam. Ita etiam sitivit potestate divina et carnali lege, cum permitteret corpori suo ut pateretur quod ipsius est, is qui quidem olim tempore praedicationis evangelicae clamabat [2]: « Si quis sitit, veniat me, et bibat », tempore autem antiquo, tanquam petra spiritalis in deserto populum israelitam sitientem potavit, quemadmodum etiam Paulus dicit [3].

Ita etiam timuit oeconomice. Cum voluntarie quidem et desiderio venerat ut pateretur crucem salutarem, sinebat tamen passionem accedere ad se, *tantum ut eam in fortitudinem converteret* nosque in agonibus religionis cordatos redderet. Ratio enim passionum eius volontariarum et irreprehensibilium nulla alia est quam resurrectio nostra, eorum scilicet qui infirmati sunt et in terram ceciderunt: propter quos etiam hominem fieri voluit; ut ea pateretur, nosque sanaret, incarnationem accepit. Cum essentialiter immortalis et impassibilis esset tanquam Deus, corpus patiendi et moriendi capax sibi univit, ut quae ad sanationem nostram pertineant reapse perficerentur, ut victoria de passionibus nobis constitueretur dissolvereturque potestas mortis per ressurrectionem.

Qui igitur, ab ipsa constitutione in utero et unione, impassibilem et immortalem dicunt fuisse carnem Salvatoris nostri, et ei incorruptionem tribuunt, quae in impassibilitate et immortalitate agnoscitur, non vero in sanctitate tantum et impeccabilitate, et insipienter putant fabulis phantasiae Deum honorare, nos quidem et a sanatione defraudant, et victoria in diabolum mortemque spoliant, eum vero gloria privant, quae ei tanquam medico et salvatori et benefactori debetur; et ex altera parte occasio fuimus * blasphemiae pessimae: quia nobis illusit nec nos liberavit.

* p. 23.
* p. 24.

[1] Explicit excerptum e vers. arabica latine traditum. — [2] IOH., VII, 37. — [3] Cf. I *Cor.*, X, 4.

Corpus enim impassibile et immortale passiones et mortem non suscipit: in opinione tantum et quasi phantasmate somnii esse passus et esse mortuus reputatur. Si autem passiones fictitiae sunt, neque morte nostra voluntarie mortuus est Emmanuel, necessario et resurrectio eius fictitia est: et perdita sunt quaecumque spectant ad redemptionem nostram, et spes resurrectionis nobis promissa. Et necessario sub servitutem mortis reponimur, si quasi phantasmatibus nocturnis, non autem vere, sanguine crucis eius, liberati sumus nec, prout dixit Apostolus [1], per hunc sanguinem divinum redempti sumus et a nequitia liberati sumus.

Optime igitur et congruentur Sanctitas tua dixit corpus Domini nostri salvatorisque nostri esse nobis connaturale, et passum esse, sicut nos, passiones naturales et voluntarias et sine peccato. Per hoc eos qui *eum* in corpore impassibili et immortali passum esse ausi sunt dicere refellisti, et extraneos esse ovili divino ostendisti, quia grex rationabilis christianorum non audit vocem peregrinam [2].

Virga enim Iesse et Davidis, quae est Emmanuel, ut antea diximus, quae germinavit e sancta et deigenitrice et semper virgine Maria, de qua sermo erat in scriptis tuae Sanctitatis, viridis facta est et fructus protulit, eo quod nihil erat peccati antiqui, quod pessum dedit genus nostrum, in illa carne quae hypostatice unita est Verbo; cum enim incarnaretur in huiusmodi carne congruum erat ut accederet ad mortem, et diabolus, qui tenebat imperium mortis, cum non inveniret in eo rationem peccati, quaecumque est, iusta victoria devinceretur et per resurrectionem otiosus videretur.

Propterea, praedicit * hanc militiam mortis quam, per nequitiam Iudaeorum θεομάχων, diabolus ei parare putabat: « Veniet princeps huius mundi, et in me non inveniet quidquam [3] ». Cum enim virga esset nucea et efficaciam excitationis divinae possidens, quando sepulturae tradita est sepulcrum locum incorruptionis esse ostendit et excitationis resurrectionisque. Non enim eius anima dimissa est in inferis, neque corpus eius corruptionem vidit, sed ipse semet suscitavit in carne et nos suscitabit

* p. 25.

[1] Cf. *Col.*, I, 14. — [2] Cf. IOH., X, 5. — [3] IOH., XIV, 30.

adventu suo, quemadmodum Paulus ad Corinthios scribens exponit[1]. Daniel etiam, spectator divinarum visionum, ita vaticinabatur et dicebat[2]: « Et multi qui recumbunt in foveis terrae evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in opprobrium et confusionem aeternam; qui docti fuerunt fulgebunt quasi splendor firmamenti, et multi ex iustis quasi stellae in aeternum. » Rursum, pignora certa huius spei videre est id quod Matthaeus evangelista narrat accidisse cum impleta esset mors voluntaria et salutaris; dicit enim[3]: « multa corpora sanctorum qui requieverant resurrexerunt, et cum exivissent e sepulcris post eius resurrectionem, ingressi sunt urbem sanctam et pluribus apparuerunt ». Ipse etiam Dominus noster et salvator, cum graderetur ad crucem pretosiam, et cupidus factus esset patiendi, lignum viride se ipsum nominabat; et ad mulieres qui eum sequebantur, lamentantes et ululantes, conversus est et, dans vae Iudaeis qui, propter suam pertinaciam Deum impugnantem, passuri erant insanabilia, neque utilitatem capturi erant ex humore et viriditate, scilicet ex incarnatione eius sine peccato, ait illis[4]: « Beatae steriles et ventres qui non pepererunt, et ubera quae non lactaverunt. * Tunc incipient dicere montibus: Ruete super nos! et collibus: Operite nos! Quod si haec in ligno viridi faciunt, in arido quid facient? ».

Quae in scriptis tuis de virga occurebant interpretationes spiritales, praedicationes sunt salutis nostrae verae, sunt pignora resurrectionis a nobis credendae. Virga autem phantasiae quae mentitur, et celeriter atque inaniter a praedicatoribus mendacii inventa est, radix est arida quae florem resurrectionis producere non valet. Quid enim generabit phantasia sine corpore, quae incepit a garrulis Valentino et Basilide, transiit per Marcionem et Manem, et completa est in Eutyche et Iuliano halicarnassio. Arida pariter est virga Apollinarii, qui mentem in divina inhumanatione amputat, et hanc primitiis salutis nostrae orbatam dicit. Si enim Verbum Dei carnem quidem e nobis assumpsit et animam rationalem, contempsit vero, ut is inepte praedicat, mentem animae humanae directricem, id quod pretiosum et maximum est in plasmatione nostra, id quo imago et

[1] Cf. I *Cor.*, VI, 14. — [2] DAN., XII, 2, 3. — [3] MATTH., XXVII, 52, 53. — [4] LUC., XXIII, 29-31.

similitudo Dei facti sumus, sanationem non accepimus. Quae enim sanatio fuit ei quod non unitum est, secundum eorum fabulas, cum eo qui venit ut nos salvaret, sicut David propheta psallat et dicit[1]. Pariter, arida et sine fructibus est etiam virga eorum qui dividunt in dualitatem naturarum, post unionem ineffabilem, unum dominum nostrum et Deum nostrum Iesum Christum: quomodo una virga ab illis vocetur, intellegere non possum. Rem enim vanam illas reddit id quod duae videantur et seorsum subsistant, et quod seorsum naturae humanae tribuat passionem et crucem, Deo autem seorsum immortalitatem et operationem signorum divinorum; ita ut in *solo* homine * definiatur principium spei salutisque nostrae, resurrectio, inquam. Vanam autem esse spem in homine *repositam* audiamus a Ieremia propheta, qui dicit[2]: «Maledictus homo cui est fiducia in homine, et faciet filium carnis suum brachium, avertetque a Domino cor suum». Sed a nobis absit ut avertamus cor nostrum ab uno Deo et salvatore Iesu Christo domino nostro, et fiduciam in homine eius fiduciae substituamus!

Unam enim virgam confitemur: Verbum quod sine mutatione et sine phantasmate perfecte inhumanatum est. Est enim una virga vere et sine dubio; et idem ipse est qui divina divinitus operabatur et voluntarie, oeconomice vereque patiebatur humana; et dedit seipsum redemptionem pro multis, et passus est in carne patiendi moriendique capaci, cum tamen in terminis divinae impassibilitatis maneret; nec etiam, eo quod est Deus, mutavit quod est immutabile, nec unam quidem mutationem passus est; et sic unus e Trinitate mansit, etiam cum in carne pateretur: vituperationem autem theopaschitarum qua afficimur risu dignam ostendit quod dictum est a divo Paulo: Dominum gloriae crucifixum fuisse[3]. Numerum quaternum in Trinitate non addidit, et idem est qui in tota oeconomia salutari divinitus et humanitus loquebatur: quia vere erat Deus et vere erat homo. Si enim dedecori et contemptui ei fuisset quod loqueretur humanitus, eum ab ipso initio iam puduisset participandi carni et sanguini ad similitudinem nostram. Sed dedecori non est medico aliquomodo parvipendere gloriam suam et dicere et pati quid

[1] Cf. *Ps.* LXXIX, 3. — [2] IEREM., XVII, 5. — [3] Cf. I *Cor.*, II, 3.

* p. 28. humanum ut infirmum salvet sanetque. Unde enim * agnoscimus exinanitionem et humiliationem eius, et paupertatem eius, quam propter nos passus est, cum sit dives, nisi e sententiis humanis et passionibus voluntariis oeconomicisque? Sicut enim distinctionem noscimus divinitatis et humanitatis quibus constat Emmanuel: ita etiam distinctionem noscimus eius verborum et operationum divinarum humanarumque, sed ea omnia unius et eiusdem esse dicimus, in quantum est Deus inhumanatus. Ut enim dividamus haec inter duas naturas minime admittimus: cum enim divisione in dualitatem *naturarum* necessario fluit divisio in omnibus. Haec autem Athanasius magnus et Cyrillus sapiens, doctores diocesis vestrae rationalis aut potius totius ovilis Christianorum sub caelo, nos docuerunt. « Non enim peribit, sicut scriptum est [1], quod posuerunt fideles Israelis ». Dispensatores autem fideles fuerunt doctrinarum Spiritus: si quidem spiritu prophetico, apostolico et evangelico ambo divites fuerunt.

Ex his mansionibus etiam Perfectio tua nobis misit epistulas synodicas. Ab antiquo enim est sanae doctrinae decus illi sedi evangelicae. Inde etiam scripta festalia toti orbi mittebant qui in ea legitime sedebant, et cum indictione festi singulis annis puritatem et integritatem fidei miscebant: quod ad haec usque tempora servatum est et servabitur, et per te florescet, usque ad consummationem saeculi. Idcirco ecclesiam vestram sanctam si quis vocat radicem orthodoxiae a sensu veritatis non recedit. Ille enim Athanasius, strenuus in doctrinis suis et in suis certaminibus pro religione, ad dextram venerabilis sanctae memoriae Alexandri, capitis sanctae synodi CCCXVIII Patrum, stabat; * p. 29. * cum adhuc inter diaconos numeraretur, cum pastoribus orthodoxis et veritatis athletis tum consilium habebat de accurata fidei definitione, quae quidem sit quibuscumque dolis et artificiis haereticorum incoercibilis, et omnes aditus eis praecludat. Propterea, amore ecclesiae quam vos pascitis vestrique pastorum vulneratum est cor meum, et morbum laudis mihi esse confiteor. Scripta enim apostolici Athanasii et sapientissimi Cyrilli, sicut pharetra spiritalis, copiose praebent mihi tela adversus eos qui

[1] Cf. II *Reg.*, XX, 18. (LXX)

audacter in duos dividunt unum Christum, et etiam adversus errorem praedicatorum phantasiae, tum in disputationibus oralibus de scripturis [1], tum in armatura atramenti et calami, ut aperte demonstrant imperfecti libri meae imbecillitatis.

Eam itaque fidem decet nos amplecti et confiteri quam laudabilis coetus CCCXVIII Patrum sanctorum definivit, et hanc unicam definitionem confessionis nostrae decet nos scribere in tabulis intellectualibus cordium nostrorum, et aperte praedicare altius quam tuba, quia « corde creditur ad iustitiam, sicut docet Paulus [2], ore autem fit confessio ad salutem ». Hanc definitionem etiam synodus CL Patrum sanctorum quasi suam praescripsit, et synodus etiam sancta et oecumenica Ephesi, quae eiecit [3] Nestorium impium eosque omnes qui eius errorem amplexi sunt. Has autem *definitiones* circumdaremus *decet*, sicut munimento spiritali et muro inexpugnabili, XII Capitulis * athletae Cyrilli, * p. 30. quae comprehendunt seriem duodecim šabṭê [4] quibus numeratur et constituitur Israel spiritalis, nam unumquodque capitulum portam divinam nobis aperuit ad cognitionem inhumanationis divinae, et ingressum legitimum firmumque ad ecclesiam aperte monstrat; quod praevidebat Ezechiel propheta, cum mystice rapiebatur ad visionem qua templum in monte *sito* ei ostendebatur, duodecim portas habens, secundum numerum et nomina tribuum Israelis. Hae autem erant, ut opinor, doctrina divina duodecim Apostolorum, quibus spirant, quasi unguentum suaveolens, duodecim capitula sapientis Cyrilli. Propterea anathematizamus toto ore nostro eos qui iactanter adversus ea locuti sunt, et eos qui prius quam isti, semina, id est zizania anthropolatriae iudaicae iecerunt, nempe Paulum samosatenum et Artemonem huius antecessorem, et Photinum, et Diodorum, et Theodorum, et Nestorium qui ceterorum impietatem palam protulit atque idcirco nomen haeresi ipse dedit, et Theodoretum, et Andream, et Hibam edessenum, et Alexandrum hierapolitanum, et Eutherium tyanensem, et Iraeneum bigamum, id est duarum uxorum, et Cyrum Iohannemque, qui sunt ex Aegis Ciliciae, et Barsaumam persam, qui non solum hoc la-

[1] Vel: in impugnatione orali librorum. — [2] *Rom.*, X, 10. — [3] Vide correctiones. — [4] Ludit in duplici sensu vocis: « virga » et « tribus ».

boravit morbo, sed etiam canonibus impuris polluere puritatem vitae evangelicae studuit et damnatus est cum suis commentis suaque corruptione, et alium, si sit, illis similem: quos redarguunt divina Capitula patris nostri Cyrilli, quae ab universa ecclesia orthodoxorum in universo orbe praedicantur, et animum fidelium obfirmant; quia lumine divinae scientiae quicumque * ea legunt illuminantur, laude nostra non indigent. * p. 31.

Cum praedictis doctoribus anthropolatriae reprobatis decet ut computemus et anathematizemus etiam Synodum chalcedonensem et Tomum blasphematorium impii Leonis ecclesiae Romanorum *episcopi,* quem columnam orthodoxiae eadem synodus vocavit; nam, praeter canonem patrum theophororum, definitionem fidei constituit *synodus,* et incarnationem divinam indivisibilemque divisit in dualitatem naturarum post unionem ineffabilem, et operationes proprietatesque earum *naturarum,* sicut ipse Tomus legentibus ostendit; si quidem aperte et late explicat quid sit in duas naturas credere unum dominum et Deum nostrum Iesum Christum. Recipimus autem et laude dignam habemus confessionem rectam scripti Henotici, quod protulit dignus bonae memoriae Zeno imperator.

Eos etiam rursum qui, ex altera parte, veram fidem perstinxerunt, anathemate plectimus, dico autem Valentinum, Basilidem, Marcionem, Manem, Apollinarium, Eutychen insanum, qui pluries in laqueos lapsus est et lepra laboravit permanenti et insanabili; eos quoque qui postea infirmitate laboraverunt et morbum diffuderunt dum in corpore impassibili et immortali veras salutaresque passiones Emmanuelis quasi ulceribus conati sunt maculare, et in viis suis multiplicibus pudore suffisi sunt, sicut dicit verbum propheticum [1]; quia viam veritatis unicam et rectam ignoraverunt, quae unum solumque dominum nostrum et Deum nostrum et salvatorem nostrum Iesum Christum proclamat; qui passus est in carne patiendi capaci usque dum * mortem solverit penitusque conculcaverit per suam resurrectionem, et idem est impassibilis in divinitate, sicut dictum est. * p. 32.

Cum itaque tu, in eadem manens doctrina quam exposuisti in epistula prima fraternitatis et salutationis, eam amplificas per

[1] Cf. Ezech., xxxvi, 32.

admonitiones tuas sapientes, et lucide manifestas scissiones deceptionesque omnium haeresium, et super hoc fundamentum, id est Christum, totum aedificium aedificabis, vocaberis aedificator sepium [1], et semitam quae est in medio tolles, et non irruet vir in virum, et vir in proximum non impinget, puer in senem et ignobilis in nobilem [2]. Et cum omnes istae infirmitates cessaverint, in omni excellentia Israel *seu grex* tuus illuminabitur secundum orationem Deborae prophetissae, quae dicit ad Deum: Iustitiam firma in Israel [3].

Etiam qui insurrexerunt adversus te, viri pravi et non sacerdotales, qui alta voce iniustitiam proferunt, peribunt usque ad consummationem; de his scriptum est in libro Iob iusti [4]: « Laetitia impiorum ruina est, gaudium autem iniquorum perditio. Si adscenderint usque ad caelum dona eius et sacrificium eius tetigerit nubes, cum visus ei fuerit firmatus esse tunc penitus peribit; et eius spectatores dicent: Ubi est? Tanquam somnium evanescet et non invenietur, et tanquam illusio nocturna. » Quod enim impie confiteantur veram inhumanationem Verbi Dei, existimantes eam esse phantasma, id accidit eis et rursum accidet: « In quibus enim peccat homo, eis etiam castigatur », ut scriptum est [5]. Te autem timor Dei proteget, et circumdabit te quasi turris valida a facie inimici; de quo unus e sapientibus dixit [6]: « Magnus est qui invenit sapientiam, sed non praestantior eo qui timet * Dominum. Timor Domini praestantior est omnibus: et qui eum tenet cui assimilabitur? » Docet quoque Salomon in Ecclesiaste ei qui timet Dominum omnia, etiam difficilia et sine exitu, facilia esse et exitum habere; dicit enim [7]: « Qui timet Dominum ex omnibus egredietur ». Cum autem principio omnium bonorum, quod est fides vera, confidenter innitaris, in aeternum permanebis; nec honor aut dona fraudulenta, nec aurum quod spargitur, te superabit. Docet enim nos sapiens quem paulo ante commemoravimus, etiam haec [8]: «Omne donum et iniquitas delebitur; fides autem in aeternum permanebit; mammona iniquorum sicut fluvius arescet et sicut tonitru magnum quod in pluvia personat; et in aperiendo * p. 33.

[1] Is., lviii, 12. — [2] Cf. Is., iii, 5. — [3] *Iudic.*, v, 11. — [4] Iob., xx, 5-8. — [5] *Sap.*, xi, 17. — [6] Cf. *Eccli.*, xxv, 13-15. — [7] Cf. *Eccles.*, vii, 19. — [8] *Eccli.*, xl, 12-14.

manus suas laetabitur; ita etiam iniqui penitus peribunt. » Tu autem, secundum verbum propheticum Isaiae[1], princeps eris et nemo erit qui contradicat; ut sciant omnes de domo Israel bonum esse ambulare post Dominum[2]: hoc enim a te multo melius quam ab illo sapiente proclamatur. 5

Ora autem, o frater mihi carissime, etiam pro parvitate mea, ut tentationibus valeat resistere quibus continuo colaphizatur, et mente semper revolvit cum tremore verbum Domini nostri quod dicit[3]: « qui perseveraturus est ad finem, is vivet ». Quod mihi accidat, te deprecor, per orationes tuas sanctas. Ego autem 10 quamdiu hunc aerem spirabo ab unione spiritali et concordia tecum non recedam, in certaminibus divinis pro fide orthodoxa.

Saluta fraternitatem quae apud te est; quae nobiscum, in Domino nostro te salutat. Eos autem qui attulerunt scriptum * p. 34. * tuum amicum et sacerdotale, secundum facultatem meam laete 15 excepi: Eusebium, Uranium, Thomam, Timotheum, Iohannem venerabiles episcopos; Ammonium, Alphaeum, Theopemptum, religiosos presbyteros; Iohannem, Epimachum, Epiphanium, castos diaconos; et novi eos esse dignos qui ministrarent tuis egregiis mandatis sacerdotalibus. 20

Explicit epistula synodica theophori patris nostri Severi ad venerabilem et sanctum Mar Theodosium.

EPISTULA PATRIARCHAE THEODOSII, PROPTER VARIAM FIDEM QUAE EXORTA EST DIEBUS EIUS INTER SUAE COMMUNIONIS PARTICIPES. 25

Piissimis et religiosissimis episcopis, presbyteris, diaconis et patribus monachis; et eis qui vobiscum in operibus monachismi laborant in fide divina firmi; et omni populo philochristo; et omnibus in communione nostra stabilitis, dilectis et caris: Theodosius, in Domino salutem. 30

Neque inimicus salutis nostrae, serpens princeps mali, ex quo capiti generis nostri nunciis vanis inhaesit et effecit ut amitterent beatitudinem paradisi, destitit hucusque insidiari eorum progeniei, et omni varietate erroris ad rebellionem contra

[1] Cf. Is., XXII, 22. (LXX) — [2] Cf. *Eccli.*, XLVI, 12. — [3] MATTH., X, 22.

Deum trahere; neque Dominus noster unigenitus filius Dei et Patris, qui est Deus ante saecula, et propter nos in fine dierum * homo factus est, auxilio destitutos unquam dereliquit eos qui * p.35. in eum credunt, cum « proximus sit omnibus qui invocant eum 5 in veritate », secundum verbum psalmistae[1]; is qui etiam nunc praebet sermonem ori nostro, dilecti nostri, et delet fraudes inimici qui conatur alterutroque modo in ecclesiam ingredi: aut persuasione atheismi Sabellii aut polytheismo Arii, quod unum et idem est, ut ita dicam, nempe paganismus. Susci- 10 tavit enim aliquos de fratribus nostris, ut accidere solet, in mutuam contentionem verborum. Ab initio quidem, de litteris et de sententiis quibusdam patristicis habebant pugnam, dum quoad earum sensum invicem consentiebant, ut putabant, excepto quod singuli quibusdam vocibus firmiter inhaerebant. Ex 15 inde vero, nos cum existimaremus eos sine vexatione a contentione sua recessuros, si eorum studium honorum condonaremus, in quadam brevi apologia, cum eis discutienda in congregatione generali, voces ob quas praecipue in partes rapiebantur ordinavimus, et quia notum habebamus patrum verba esse, non 20 haesitavimus id facere. Illi vero, hoc peracto, quasi nos has voces probaverimus, dum summa libertate ad eorum mentem eas ordinavissemus, in apertam pugnam devenerunt et ecclesia sancta, tanquam haereticorum placitis contenta, ab inimicis probro afficiebatur. Quod enim nos existimabamus invenisse ad 25 malum dissipandum: id ipsis praesertim fuit causa multiplicis certaminis. Propterea igitur, necesse habuimus morem gerere eis qui cotidie instabant et enixe a nobis petebant * ut aperte * p. 36. exponeremus sensum quo has voces patrum accepimus, et tanquam in apologia diximus. Existimavimus eo ipso bonum esse ut 30 ab accusatione iniqua ecclesiam Dei immaculatam liberaremus. Quod etiam factum est: si quidem Christus orationibus vestris debilitatem nostram roboravit, et cum doctrina theophora sanctorum Patrum clare in nos fulgeret, tota caligo et prava machinatio artificis malitiae evanuit; quemadmodum licet vobis intellegere e lectione tractatus quod composuimus et cum hac epistula misimus.

[1] *Ps.* CXLIV, 18.

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, in fide recta et immaculata conservet vos omnes, qui semper etiam egregiis operibus addicti estis, per orationes sanctorum qui a saeculo sunt. Amen.

RURSUM, SPECULATIO IPSIUS TRACTATUS; QUIS SIT EIUS SCOPUS, ET QUAE CAUSA EIUS SCRIBENDI.

Utile primum est amicis veritatis, qui legent hunc tractatum, scire quosdam homines surrexisse ex ecclesia nostra sancta qui ausi sunt dicere quod non deceat profiteri Trinitatem sanctam, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam tantum essentiam et unam naturam esse, sed etiam tres essentias et tres naturas; eo quod invenerunt in homiliis sanctorum patrum unamquamque ex his personis seu hypostasibus essentiam quoque et naturam vocatam esse; et ab illis scriptum esse in pluribus locis de unaquaque hypostasi: « eius essentia » et « eius natura propria »; eo etiam quod nos omnes aperte confitemur et dicimus unam naturam Verbi Dei incarnatam; et eo quod invenerunt Iohannem Chrysostomum dixisse * de unigenito filio Dei, id est Verbo, « substantia quaedam est », quia interpretatur substantia per essentiam.

Illud autem «quaedam» vox est quam finxerunt philosophice, sicut de illa docet Aristoteles: quae quando apponitur ad vocem pluralitatis collectivam, unum quoddam separat et designat ex his quae includuntur in voce universali et collectiva; qui enim dicit «homo», omne genus humanum complectitur in suo verbo; qui autem addit et dicit: « homo quidam », unum hominem ab universalitate separat et designat. Quaedam essentia universaliter dicitur esse Trinitas sancta, et essentia quaedam singulariter Verbum Deus, sicut ait Iohannes Chrysostomus, et essentia quaedam Spiritus sanctus, sicut ait Gregorius Theologus, et Pater invenitur esse essentia quaedam. Et ita, ut ausi sunt opinari, concludebant dicendum esse tres essentias quasdam et tres naturas quasdam, et tres essentias et tres naturas, et rursum essentias et naturas separatim. Absit ut haec inter christianos recipiantur. Sunt enim proles Arii et polytheismi paganorum.

Alii autem obsistere huic audaciae cum vellent, trangressi

sunt modum congruentem, et ita lapsi sunt ut dicerent neque essentiam neque naturam vocandam esse unamquamque hypostasium seu personarum sanctae Trinitatis, cum in seipsa speculatione consideratur et enuntiatur: cuius rei plena est et quam manifestat tota traditio scripta patrum. Et inde ausi sunt et illi dicere: essentiam Trinitatis * incorporatam esse per unam ex hypostasibus; et idem praedicant de natura divina. Evidens est huiusmodi interpretationem impietatem esse, nec remotam ab atheismo Sabellii.

Itaque, hic tractatus, qui in via recta et regia incedit, nec declinat ad dexteram aut ad sinistram, adversus ambas partes stat; ut demonstret, sicut Severus, cuius memoria est inter sanctos[1], docet: unamquamque ex tribus hypostasibus, seu προσώποις Patris et Filii et Spiritus sancti, cum in seipsa speculatione consideratur, vocatam esse a sanctis patribus etiam essentiam et naturam; siquidem haec nomina pro nomine hypostasis seu προσώπου apponuntur. Et ita recte confitenda et praedicanda est una natura Verbi Dei incarnata in carne praedita anima rationali et intellectuali. Ex inde autem minime admiserunt sancti patres ut praedicarentur in ecclesiis sanctis tres essentiae, aut dicerentur tres naturae aut tres quaedam naturae, aut absolute essentiae vel naturae, sed omnino evitant quin adponatur quicumque numerus, definitus aut indefinitus, ad nomen essentiae vel naturae in Trinitate sancta, et docent Trinitatem sanctam esse unum Deum qui cognoscitur, adoratur et glorificatur in una essentia et in una natura.

I. Itaque capite primo, post ordinem verborum apologiae, quae ante dicta est, iam expandimus verba sanctorum patrum quae docent unitatem essentiae naturaeque Trinitatis sanctae, et distinctionem hypostasium seu προσώπων.

II. * Capite secundo: de hypostasi Filii, quae vocatur ab ipsis patribus sanctis etiam essentia et natura; et de illa locutione « quaedam », ex qua non augmentum admittimus, quando adiuncta est vocibus collectivis apud sanctos patres; et de prolatis sententiis « natura ipsius » et « natura eius propria ».

III. Capite tertio: de hypostasi; quod hypostasis Patris etiam essentia et natura appellata sit.

[1] Severus mortuus est die 8 februarii, anno 538.

IV. Capite quarto: de hypostasi Spiritus sancti, quam quoque essentiam et naturam vocarunt sancti patres.

V. Capite quinto: quod non deceat ut audeamus humiliare divinatem et eam sub coordinatione humani sermonis et ἀκολουθίαις, quod interpretatur « consequentiis », cogitationum terrestrium reponere, quae est etiam supra essentiam et supra naturam; et quod non admittat ecclesia sancta Dei numerum quemcumque, definitum aut indefinitum, praedicari de essentia aut natura sanctae Trinitatis; sed tantum de hypostasibus seu προσώποις ille praedicatur ab his *patribus*.

VI. Capite sexto: circa inhumanationem unius e Trinitate sancta, Verbi Dei, discimus hypostasim ipsius Verbi tantum incorporatam esse, non autem Patrem vel Spiritum sanctum; neque essentia Trinitatis sanctae, sicut nonnulli ausi sunt dicere, per unam e suis hypostasibus incorporata et inhumanata est.

Et conclusio tractatus admonitoria: quod non deceat ut nos ipsos tradamus nimiae scrutationi, sed permaneamus et stemus in terminis a sanctis patribus praefixis; quia durum est iudicium eorum qui perturbant et dividunt ecclesiam sanctam, sanguine Christi Dei emptam: cui sint cum * Patre eius et Spiritu sancto, laudationes et adorationes et confessiones in saecula saeculorum. Amen.

* p. 40.

Translatus est et interpretatus est iste tractatus e graeco in syriacum, quantum possibile est de verbo ad verbum sine diversitate, ita ut manifestet non quoad sensum tantum, sed in ipsis sententiis sententias quae sunt in graeco, et plerumque neque additum est neque demptum unum signum, nisi id indigentia linguae impediverit.

ORATIO THEOLOGICA QUAE HABITA EST CONSTANTINOPOLI, A VENERABILI ET BEATO ARCHIEPISCOPO ALEXANDRIAE THEODOSIO: quod non deceat numerum essentiarum aut naturarum confiteamur in Trinitate sancta; et quod cum unus e Trinitate, Verbum Deus, est incarnatus, neque Pater neque Spiritus sanctus incarnatus sit.

Decebat quidem vos, fratres nostri, secundum admonitionem apostolicam[1], «idipsum invicem sentire quod et in Christo Iesu»; ut, cum eiusdem mentis essetis, et eamdem caritatem haberetis,

[1] *Philip.*, II, 5.

in concordia uno ore glorificaretis Deum et patrem eiusdem domini nostri Iesu Christi: ita enim, voces contentiosas et sine utilitate vitando mandatum apostolicum vos servavissetis[1], et nos silentium quod antea pretiosum habuimus et hucusque dileximus, maxime cum ad statum tantae debilitatis corporalis redacti sumus.

Calumniator autem, inimicus veritatis, per additamenta quae continuo dilatant malum, praeter zizania quae ab initio in ecclesia Dei seminavit, * non cessat etiam nunc seminare: ita ut simplicitatem et puritatem fidei nostrae per malitiam ab eo ortam perturbet. Idcirco primum brevem apologiam quamdam olim ad vos dirigere coacti sumus, scilicet ut dum studet propagare principia sua, priusquam germinarent amputaremus. Nunc autem cum videremus quosdam dolosis eius commentis dirigi, necesse existimavimus ut dominum nostrum Christum, qui dixit[2]: « Veni mittere gladium », id est collectorem zizaniorum pravorum, invocemus, ut det sermonem et aperiat os nostrum ad perfectam vobis proferendam apologiam.

* p. 41.

Cum enim debilitatem virtutis meae recogito et inaccessibilitatem cognitionis rei propositae; nec possibile esse ut mente revolveremus quae sunt supra mentem, aut verbo manifestaremus quae sunt supra verbum, ad nihil cogitandum aut a me proferendum inclinor. Itaque, recedentes ab eis qui facili modo telas araneas texunt, et retractationes opinionum inconsiderate prompte perficiunt, et ad adhaesiones veloces et inordinatas ex imperitia maxime verborum divinorum deducuntur, seque et eos quibuscum colloquuntur decipiunt, nos quae sunt ab ovili nostro, id est quae e doctrina inspirata theophororum patrum accepimus, secundum virtutem nostram collegimus et composuimus. Existimamus enim satis haec facere, quae ab eis dicta sunt, eis qui optime ratiocinantur, ad notionem et confirmationem rei petitae. Qui enim in omnibus non adhaeret sensui sanctorum patrum et ipsorum sententiis, mentemque eorum firmam esse et veracem suis cogitationibus non opinatur: hunc tanquam impudentem reprehensione dignum exhibet sanctus Basilius, in eis quae ad monialem * de Trinitate misit, ita scribens[3]: « Patribus non adhaerere, nec eorum sententiam

* p. 42.

[1] Cf. *Tit.*, III, 9. — [2] Cf. MATTH., X, 34. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXII, col. 392.

nostra opinione veriorem habere, res est reprehensione digna, ut arrogantiae plena ». Idcirco etiam nos merito, nullum augmentum aut detrimentum inducemus dum accedimus ad mysteria patrum.

Esse quidem Deum: et e doctrina Spiritus accepimus, et e cogitationibus communibus edocemur; quid autem sit: ne cogitare quidem possibile est, neque a fortiori exprimere licet. «Neque enim linguae angelorum quaecumque sunt, sicut rursum sapiens in divinis Basilius dixit [1], neque archangelorum, simul cum tota natura rationali coactae, ad minimam partem pertingere poterunt, nedum toti pares sint vel ipsae ». Suadeo itaque, fratres mei, ut ab investigatione circa inaccessibilia, in timore Dei, fugiamus, et admonitioni apostolicae potius obediamus, quae dicit [2]: « Non sapere praeter id quod licet sapere, sed sapere ad sobrietatem. »

Veniamus iam ad scopum nobis propositum, in orationibus ipsorum sanctorum patrum confisi. Et id etiam prius testamur eis qui legent: neque ad ostentationem verborum, neque in causam contentionis haec nos fecisse, sed id tantum prae oculis habuisse, quo modo fratribus nostris qui de rebus praesentibus nos interrogarunt et cotidie hac de re interrogant, secundum virtutem nostram explicationem daremus.

Praeordinavimus igitur verba apologiae, quae antea a nobis facta est, sed hucusque, propter nimiam contractionem sermonis, nemini tradidimus; et propter id ipsum * opinionem nostram hac de re late simulque aperte exponere promisimus. Quod etiam, auxilio Dei, fecimus. A verbis ipsius apologiae incipiemus, quae ita fert: Confitemur unum Deum esse sanctam et coessentialem Trinitatem, et unam esse eius substantiam et eius naturam; et non tres naturas aut tres substantias, non tres quasdam naturas aut tres quasdam substantias dicimus; quia nec ab aliquo e doctribus Ecclesiae dictum invenimus. Confitemur unamquamque trium hypostasium, Patris et Filii et Spiritus sancti, quando in seipsa consideratur, esse substantiam quamdam et naturam, et vitam, et lumen, et verum, et quidquid de una divinitate a theologis dicitur. Si autem alicubi a sanctis

* p. 43.

[1] *Patr. gr.*, t. XXXI, col. 465. — [2] *Rom.*, XII, 3.

patribus nostris numerus de his usurpatur, definitus aut indefinitus, exempli gratia: lumen et lumina, vita et vitae, boni et bonus, sancti et sanctus, aut rursum quando dicunt: quotiescumque Deum enuncio, uno lumine refulgetis et tribus [1]; et, ut brevius dicam: quotiescumque talia invenire est apud ipsos, hunc numerum definitum aut indefinitum de hypostasibus tantum accipimus et profitemur, quia [2] ipsi ita mentem suam exposuerunt.

Circa autem inhumanationem salutarem, propter nos, Dei Verbi, haec sentimus. E duabus naturis compositum credimus Christum dominum nostrum, divina et humana; non e genericis et communibus: id est ex illa quae complectitur tres hypostases divinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti et ex illa quae complectitur totum genus humanum, id est omnes homines, sed ex una natura propria ipsius Verbi et ex carne eius propria quae animata est anima rationali et intellectuali, quam e * sancta et semper virgine, aequo et vere Dei genitrice Maria, Verbum Deus sibi hypostatice univit; et unius itaque compositi est eius natura et eius hypostasis.

* p. 44.

Si autem post hanc nostram explicationem vere discemus aliquem ex eis qui in nostra communione sunt, contraria his *doctrinis* sentire aut proferre, ab huiusmodi viro avertemus faciem nostram.

Explicatio itaque quae antea summatim a nobis recitata est haec manifestabat. Iam veniamus ad singula eorum quae dicta sunt, evolvendo et secundum virtutem nostram illustrando atque paternis testimoniis confirmando *ea*.

[Cap. I] Nomina sane plura sunt in libro inspirato quibus divinitas significatur. Omnia cum praetermisisset Dominus noster Iesus Christus, in complemento fidei nostrae quod discipulis suis tradebat, « Exite, docete, inquit [3], omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». Per illas appellationes non tres quosdam deos nobis affert, — ipse enim per Moysen divinarum rerum patefactorem antea dixerat [4]: « Audi Israel: Dominus Deus tuus dominus unus est », — sed inconfusam et meram distinctionem personarum docebat, ut sciamus

[1] Cf. GREG. NAZ., *Patr.Gr.*, t. XXXVI, col. 345. — [2] Vide correctiones. — [3] MATTH., XXVIII, 19. — [4] *Deut.*, VI, 4.

Patrem non esse Filium aut Spiritum, neque Filium Spiritum aut Patrem, neque Spiritum sanctum Filium aut Patrem, sed cum unumquemque eorum designatione eius hypostasis propria agnoscimus, a *confusione vitiosa avertamus faciem nostram*, e qua libycus Sabellius orsus est, et a nobis repellamus dissectionem deitatis, quae nunquam exstitit, incongruentem et * indecentem quam impius Arius denique introduxit. Sit itaque sancta et coessentialis Trinitas, in hypostasibus quidem distincta et inconfuse permanens, sine autem divisione, et in una essentia et natura, et divinitate, et imperio, et gloria, et aeternitate, in virtute et operatione, in scientia et adoratione, ceterisque quae naturaliter Deo competunt. Proprietas autem Patris est paternitas et quod ingenitus existet; proprietas Filii est filiatio et quod a Patre gignatur; proprietas Spiritus sancti quod non gignatur sed procedat, sine initio et ab aeterno, e Patre. Per has autem proprietates inconfusio προσώπων seu hypostasium indicatur et cognoscitur. Cetera omnia, sicut antea diximus, quae divinitatem indicant, communia sunt eis et aequalia dignitate et indistincta, et ostendunt nos in unum credere Deum, qui in una essentia et in tribus hypostasibus est et cognoscitur. A Patre enim, absque tempore et aeternaliter Filius quidem gignitur, Spiritus autem procedit, et eius respectu se habent sicut ad quamdam radicem et fontem sublimiore sensu; ab ipso sunt, etiam si non sunt post eum. Itaque cum confitemur tres hypostases, non tria principia, neque tres deos, neque tres essentias, neque tres naturas, neque etiam tres quosdam deos, nec tres quasdam essentias, neque tres quasdam naturas, aut ullam pluralitatem essentiarum aut naturarum inducimus, — quae proles sunt polytheismi paganorum; — sed unum Deum, et unum principium, et imperium unum praedicamus et laudamus. Unam, sicut antea diximus ubique, essentiam et naturam, quae in tribus hypostasibus adoratur, docemus; * et unam divinitatem et virtutem, et unam operationem, trinitatem coessentialem quae, secundum verbum Gregorii theologi[1], « coniunctim distincta est et distinctim coniuncta » : quod sane ad miraculum pertinet.

Cum autem in omni disputatione et in omni sermone testimonium patrum regula est non obliqua veritatis, adducimur ut *allegatione eorum quae ab illis dicta sunt sermonem confirmemus*; ita ut nos quidem omni modo a culpa servaremur, causa autem nulla remaneat eis qui dilexerunt obliquitatem falsae scientiae. Decet autem ut primus, tanquam lumen, sermonem illuminet aemulator certaminum apostolicorum Athanasius, qui docet unitatem et indivisibilitatem unius essentiae et divinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, in epistula quam scripsit ad Serapionem de Spiritu sancto, ita dicens[1]: « Sancta et beata Trinitas individua atque ipsa secum unita est; ubi Pater nominatur, adest eius Verbum et Spiritus qui est in Filio; si autem Filius nominatur, in Filio est Pater, nec extra Verbum est Spiritus. Una enim est gratia quae ex Patre per Filium in Spiritu sancto completur, et una est divinitas et una substantia, et unus Deus qui est super omnia, et per omnia et in omnibus ».

Clare exponit nobis et sapiens in divinis Basilius, quae autem sit diversitas substantiae et hypostasis; quae vero sit ratio qua substantiam quidem unam in divinitate confitemur, hypostases vero tres; quae sint ea quibus unaquaeque earum designatur et ab aliis distinguitur; et quomodo debeamus in omnibus et unitatem servare in confessione unius divinitatis, et cognitionem uniuscuiusque προσώπου profiteri in distinctione * proprietatum quae noscuntur in unoquoque eorum. Scripsit enim in epistula ad Amphilochium, de substantia et hypostasi, ita dicens[2]: « Substantia autem et hypostasis hanc differentiam habent quae est inter commune et singulare, verbi gratia inter animal et talem hominem. Quapropter substantiam quidem unam in divinitate confitemur, ita ut rationem essentiae[3] non diverse reddamus; hypostasim autem[4] singularem, ut inconfusa et aperta nobis insit notio de Patre et de Filio et de Spiritu sancto. Quando enim non consideramus distinctas uniuscuiusque eorum proprietates, puta paternitatem et filiationem et sanctitatem, sed ex communi ratione essentiae Deum confitemur, impossibile est ut sana fidei ratio reddatur. Oportet igitur ut communi addentes proprium, ita fidem profiteamur: commune

[1] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 345.

[1] *Patr. gr.*, t. XXVI, col. 565. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXII, col. 884. — [3] τὸν τοῦ εἶναι λόγον. — [4] Vide correctiones.

est deitas, proprium est paternitas, et coniungentes *haec* dicamus: Credo in Deum Patrem. Rursum, in confessione Filii similiter nobis faciendum est, adiungentes communi proprium dicamus: In Deum Filium. Pariter et de Spiritu sancto, secundum rationem vocis accomodantes sermonem dicamus: Credo in Deum Spiritum sanctum; adeo ut omnino et unitas servetur in unius divinitatis confessione, et proprium προσώπων confiteamur in discretione proprietatum quae in unoquoque eorum intelleguntur ».

Et beatus Gregorius, episcopus Nyssae, eumdem sensum praedictarum rerum servat in libro secundo adversus impium Eunomium, haec scribens[1]: « Dominus noster Christus ad fidem quae est de eo quod est nos adducere maxime potens, has voces adhibuit, * ostendans, si in appellatione Patris et Filii et Spiritus sancti permaneamus ad cognitionem eius quod constanter est satis nobis esse: quod quidem unum est et non unum. Ratione enim substantiae unum est, et idcirco ad unum respicere nomen nos iussit Dominus noster; proprietatibus autem distinctivis προσώπων in fidem Patris et Filii et Spiritus sancti distinctum est, inseparabiliter divisum et inconfuse unitum. »

Hunc sensum tenet et probatus inter doctores Cyrillus, dum in libro septimo interpretationis evangelii Iohannis haec scribit[2]: « Esse quidem in propriis subsistentiis sanctam Trinitatem confitemur. Pater enim est Pater et non Filius, Filius rursus Filius et non Pater, et Spiritus sanctus peculiariter Spiritus. Attamen nullo modo discedunt a mutua communione et unitate; sed neque sicut corpora nostra separata per respectivam singularitatem, unumquemque eorum concipi posse cogitamus; sed etsi eos esse tanquam in una substantia et naturali unitate sine contestatione admittimus, tamen seorsim proprietatibus προσώπων et hypostasium singulorum essentia inexcogitabili aliquo modo coniungitur, et venit ad[3] esse. Unam enim in sancta et coessentiali Trinitate divinitatem ita consideramus.» Quis autem has sententias doctoris audiet et non merito mirabitur eius sedulitatem, et quam accuratus et prudens perfecte definitionem tradit divinitatis, quae una est et quae eadem in

[1] *Patr. gr.*, t. XLV, col. 469. — [2] *Patr. gr.*, t. LXXIV, col. 33. — [3] Vide **correctiones.**

una essentia et natura et divinitate est sancta Trinitas, servans quidem ubique inconfusam distinctionem proprietatum essentiae in propria subsistentia et personarum hypostasiumque Patris et Filii et Spiritus sancti, dum * unione naturali eas invicem colligat.»

Sed non hic tantum talem eum videmus; sed et in libro septimo scripti ad Hermiam, de Spiritu quidem sancto narrans dicebat[1]: « Simplex quidem et incomposita est natura omnibus sublimior, hypostasium quidem proprietatibus et προσώπων nominumque differentiis dilatata et in sanctam Trinitatem tendens; verumtamen unitate naturali et immutabili identitate ad unum quiddam concurrens, Dei *scilicet* nomen et rem, ita ut in unoquoque eorum tota natura intellegatur una cum eo quod est eius proprium, id est cum hypostasi. Manet enim unumquodque id quod est in unione naturali cum aliis, et illa possidet in natura sua. Est enim Pater in Filio et Spiritu sancto, et similiter Filius et Spiritus sanctus in Patre, et in se mutuo.»

Veniat rursum ad nos Gregorius, qui vocatur Theologus, qui eadem ac illi patres sancti prius enumerati clamat in epistula prima ad Cledonium[2]: « Nos autem Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum agnoscimus: haec autem non nuda nomina, dignitates et potentias dispares secantia, sed unam eamdemque, ut appellationem, ita divinitatis naturam, et essentiam et potentiam. »

Idem autem non ad haec tantum sistit, sed quod impossibile sit ut numerum essentiarum aut naturarum, bene vero hypostasium seu προσώπων, admittamus, manifeste eis qui intellegere volunt demonstrat, cum ita loquitur in homilia inscripta In adventu episcoporum[3]: « Credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, eiusdem substantiae et gloriae; * in quibus baptismus perfectionem acquirit, tum in nominibus, tum in rebus — scis tu qui initiatus es, — *fit* abnegatio atheismi et confessio divinitatis, et ita perficimur. Unum quidem quoad essentiam et indivisibilem adorationem cognoscimus, tria autem quantum ad hypostases seu πρόσωπα, ut quibusdam arridet.

[1] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 1092. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXVII, col. 192. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 475.

Non pudore afficiantur qui in his decertant, quasi in nominibus, non autem in rebus, recta confessio nobis reposita sit. Quid dicitis vos, qui tres hypostases affertis? An quod tres essentias existimetis, id dicitis? Scio vos vehementer clamaturos adversus eos qui ita sentiunt: unam enim et eamdem trium harum *essentiam* profitemini. Quid ergo et [vos] qui πρόσωπα *affertis?* Num unum, tanquam compositum quoddam, fingitis, triplex προσώποις aut omnino forman humanam habens? Absit. Vos ipsi contrarium clamatis: nec faciem Dei, quaeque est, videat qui ita sentit. Quid igitur vobis volunt hypostases, aut vobis πρόσωπα? interrogo. Quod tria sint quae dividantur, non naturis sed proprietatibus? Optime. Quomodo itaque aliqui magis concordiam exhibeant et idem dicant, quam illi qui ita sentiunt, etiam si syllabis discrepent? Videte qualem vobis me pacificatorem praebeam, a littera ad mentem traducens, quasi Vetus et Novum *testamentum quis componat*[1].» Verba patris nostri haec *sunt*; et tantum certamen habet adversus eos qui numerum aut discrimen inducunt in nomen divinae essentiae seu naturae. Tum multo magis decet ut consideremus non adversus Arianos simpliciter illum fecisse * sermonem: non enim Arianis se pacificatorem esse dicit, qui essentia diversos profitentur, eo quod numerum naturarum et essentiarum introducunt in sanctam et consubstantialem Trinitatem: sed adversus eos qui admittunt quidem illud « consubstantiale », unam scilicet et eamdem divinitatem seu unitatem essentiae aut naturae eius, contendunt vero invicem circa nomen tantum hypostasis aut προσώπου. Attamen non concedit tres essentias admittendas. Tria sunt, ait, quae dividuntur non naturis sed proprietatibus. Hunc autem sensum facile nobis est discere diligenter ab illis quae scripsit in oratione de celeberrimo Athanasio, dum loquitur de Italis qui reprobant haeresim arianam[2]: « Cum enim et una essentia et tres hypostases a nobis recte dicerentur — illud quidem naturam divinitatis significat, hoc autem proprietates trium *personarum;* — et ab Italis etiam eodem modo intellegerentur, tamen propter angustiam linguae apud eos et penuriam nominum, non possent essentiam ab hypostasi distinguere, et idcirco induxissent personas, ne tres essentiae admit-

[1] Ita ad sensum graeci. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXV, col. 1123.

terentur, accidit res plane ridicula et nostra miseratione digna. Diversitas confessionis reputatus est defectus sermonis quoad sonum; hic Sabellianismus excogitatus est ob tres personas, et Arianismus ob tres hypostases. Ineptiae et litigatio.» Et hi quidem haec.

Consideremus autem quomodo eamdem omnino viam ingressus sit beatus Severus, qui fuit episcopus civitatis christophilae Theopolitarum. Scripsit enim ipse quoque in libro secundo adversus Grammaticum haec: « Nobis tantum e libro divino, qui dicit * eam constanter esse, nota est Trinitas sancta in unitate essentiae, id est ipsius divinitatis. Quomodo autem sit? *huius rei* scientia ad hoc nobis mensurata est, quod intellegamus Patrem non esse ab alio, Filium autem genitum a Patre, Spiritum autem sanctum procedentem a Deo Patre, ut per haec resplendeat in animis nostris inconfusio trium hypostasium. Si ultra ea indagationem dilataveris aut extenderis, quomodo sit non invenies neque in terra deorsum neque in caelo sursum. Scit enim perfecte Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quomodo sint in essentia, et quae sit ratio innascibilitatis mentem superantis, et generationis et processionis. Nobis autem, ex verbis et sententiis quae sunt in scripturis divinis, revelatum est ut credamus unum esse Deum in una essentia et in tribus hypostasibus; quid autem sit Deus in essentia, penitus ignotum est, non tantum nobis, sed omni creaturae rationali. Quomodo autem non sit insania manifesta, cum ignoremus quid sit, quaerere quomodo sit? » Haec itaque a nobis dicenda erant ad id demonstrandum: unum Deum in essentia una et natura una, in hypostasibus autem tribus, adoremus et glorificemus, et nullum numerum, definitum aut indefinitum, admittamus decet circa divinitatem, id est, circa essentiam aut naturam sanctae et coessentialis Trinitatis, sed illum ad hypostases seu πρόσωπα referamus.

[II] Iam autem consideremus quid etiam circa unamquamque * hypostasim, cum in seipsa spectatur, cogitare et dicere nos docuerunt qui tetigerunt mysteria veritatis. Invenimus itaque probatos ecclesiae doctores pro hypostasi saepe adhibere nomen essentiae et naturae.

Primum testem adducemus praeconem apostolicum et pro

veritate certatorem Athanasium, qui in libro secundo adversus Arianos, qui incipit Haereses quidem, ita scripsit[1]: « Et nunc illud: 'praestantior factus angelis' et illud 'factus est', et 'tanto praestantius foedus in quo factus est sponsor Iesus', non essentiam Verbi factam esse significat, — absit! — sed auxilium quod nobis provenit ex eius inhumanatione, quamvis ingrati sunt haeretici et ad impietatem contentiosi.» Considerabo etiam sapientem in divinis Basilium, qui, in libro secundo adversus impium Eunomium, hypostasim Unigeniti essentiam vocat, cum ita loquitur[2]: « Imago autem genita dicitur et est Filius: splendor enim est gloriae Dei, et sapientia et potentia et iustitia Dei; non ut habitus aut aptitudo, sed essentia viva et operans ac splendor est gloriae Dei. Quapropter totum Patrem in seipso ostendit, ex tota eius maiestate resplendens. »

Quid autem et Iohannes, qui sedem quidem huius urbis regiae decoravit, totum vero orbem doctrinis illuminavit, circa rem propositam scripisse videatur, opportunum est audiamus. In homilia quarta interpretationis evangelii Iohannis ita loquutus est[3]: « Tu autem, nobis dilecte, cum Verbum audis, nec opificium nec verbum simpliciter esse putes. Multa enim sunt verba Dei quae etiam angeli faciunt; at nullum ex his verbis Deus est, sed illa omnia sunt prophetiae et praecepta: ita enim solet *Scriptura leges Dei vocare prophetias et praecepta. Et (* p. 54.) idcirco addit de angelis: 'Potentes virtute et facientes praecepta eius[4].' Hoc autem Verbum substantia quaedam est hypostatica, quae e Patre sine passione procedit. Id autem, sicut antea dixi, per appellationem[5] Verbi significavit.» Tu autem, discipule Christi, cum audis illud « quaedam », quod adiungitur voci « substantia », noli errare neque te tradens multis et laboriosis investigationibus divisionem quamdam essentiae divinae, aut mutationem aut quid aliud, hallucinatus fingas agnosci in his quae sunt naturae beatae. Nihil enim aliud in his quae recitavimus voluisse significare videtur pater, nisi Verbum essentiam esse quae subsistit, non autem tanquam prolationem quae in aere diffunditur, aut quidquam ex illis quae ab eo prius enumerata sunt. Itaque igitur et Severum, sanctae memoriae,

[1] *Patr. gr.*, t. XXVI, col. 145 .— [2] *Patr. gr.*, t.XXIX, col. 605. — [3] *Patr. gr.*, t. LIX, col. 47. — [4] *Ps.* CII, 20. — [5] Vide correctiones.

virum qui prae ceteris valde diligenter sanctos patres evolvit, non alio consilio sententiam doctoris accepisse et allegavisse, nisi ut demonstraret hypostasim Verbi appellatam fuisse substantiam, et quid amplius non significari ab illo additamento « quaedam », evidens est ex his. Praemisit argumentum capiti quinto libri secundi adversus Grammaticum, ita ad verbum: « Quod hypostasis Verbi etiam aliquando substantia appellatur, et a doctoribus ecclesiae ita nominatur.» Praeposuit quidem demonstrationem beati Basilii qui id significat, et, praetermissis nonnullis, ita recitat: « Idipsum et ille qui flumina spiritalia de sinu suo intellectuali fluere fecit et per linguam suam salubriter et abundanter exundare fecit, Iohannes episcopus * Constantinopolis in homilia quarta interpretationis evangelii Iohannis scripsit: Illud Verbum substantia quaedam est hypostatica, quae e Patre sine passione procedit ». Id enim, sicut antea dixi, per appellationes Verbi significavit. Et postea affert demonstrationem et dicit *Severus*: « Hic itaque, divinitatem Christi et hypostasim Unigeniti substantiam appellaverunt qui attigerunt mysteria religionis.» Et in capite vigesimo octavo eiusdem libri idem exemplum posuit, et nihil aliud significare voluit quam hypostasim etiam appellatam fuisse substantiam. Quae autem est necessitas protrahendi sermonis cum praesto nobis sit semel intellegere ab ipso exordio capitis vigesimi octavi, ad quid sanctus Severus demonstrationem Iohannis sanctae memoriae, adduxit; incepit enim illud ita dicens: « Nos enim Filium et Verbum, qui ante saecula incorporaliter, aeternaliter et sine passione tanquam Verbum genitus est, unam hypostasim agnoscimus; et si invenimus eum a theophoris mysteriorum sacrae scientiae peritis substantiam appellatum esse, novimus eos pro hypostasi nomine substantiae usos esse.» (* p. 55.)

Haec quidem illi. Videtur autem et Gregorius, qui cognominatur Theologus, illud « substantia quaedam » de Spiritu sancto dixisse, neque quid amplius ex illo additamento in sensum induxisse, sed id unum ei curae fuisse ut significaret substantiam esse Spiritum, ne quis cogitaret hanc operationem non hypostaticam esse, aut sicut quid accidentale in substantia, sed confiteretur hunc esse ex iis qui per se et in se subsistunt, secundum virtutem vivam et hypostaticam. Prope est ut audiamus

eius doctrinam, in libro de Spiritu sancto[1]: « Spiritus enim sanctus vel * ex eorum numero quae per se subsistunt, omnino statuendus est, vel inter ea quae in aliis considerantur; et horum illud quidem substantiam vocant harum rerum periti, id autem accidens. At si accidens, facultas est illa Dei. Quid enim aliud, aut cuius? Hoc enim tanquam magis a compositione remotum. Si facultas est, evidenter agetur, non aget, simulque ac actus fuerit, desinet. Talis enim est actus natura. Quomodo igitur agit, et ita dicit et loquitur, et contristatur, et irascitur, et quaecumque *agit* quae manifesto huius qui movetur sunt, non autem motionis ipsius? Si autem substantia quaedam est, non autem e concomitantibus substantiam *accidentibus*, aut creatura censebitur aut Deus. Medium enim aliquid inter haec, aut quod neutrius particeps sit, aut ex utroque compositum, ne ii quidem qui tragelaphos confinxerunt intellegerent. Sed si exinde creatura est, quomodo in eum credimus et in eo perficimur? Non enim idem est credere in aliquid et credere de aliquo. Illud enim divinitati competit, hoc autem cuilibet rei.»

* p. 56.

Nos igitur, post hos venerabiles mysteriorum peritos gradimur; et consideravimus Iohannem magnum doctorem religionis dixisse de hypostasi unigeniti Filii Dei: « Verbum substantia quaedam est hypostatica», et ante eum, Gregorium qui cognominatur Theologus, dixisse de Spiritu sancto: « si est substantia quaedem, non ex iis quae sunt circa substantiam »; et monstravimus, utentes sententiis patrum, cum prius manifesta sit eorum opinio, nos in recta religione progredi in apologia antea proposita: « Confitemur autem unamquamque * trium hypostasium Patris et Filii et Spiritus sancti, quando in seipsa consideratur, substantiam quamdam, et naturam, et vitam, et lumen, et verum, et quidquid de una divinitate a theologis dicitur. » Addere quidem illud « quamdam » nemini substantiae nobis satis fuit; non autem iam et illud de nomine naturae, aut vitae aut ceterorum attributorum quae post illud enumerata sunt accepimus. Etenim, nulla huiusmodi sententia Patrum ad nos pervenit, et ut haec verba innovaremus propria nostra auctoritate, non consensimus. Gratum autem nobis est, dum eis quae ab illis dicta sunt innitebamur, quomodo et quo sensu accepimus unum-

* p. 57.

[1] Vulgo *Oratio theologica quinta. Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 140.

quodque verbum et antea nos exposuisse et ex inde notum esse. Numerum enim, quem male nonnulli conantur inducere, eo quod dicatur « substantia quaedam », iam antea reiecimus.

Non satis est nobis stare verbis apologiae praepositae, ubi diximus « neque tres quasdam substantias, neque tres quasdam naturas dicimus »; sed addidimus et post illud adduximus *haec*: « si alicubi a patribus nostris sanctis numerus de his dicitur, aut definitus aut indefinitus, quemadmodum lumen et lumina, vita et vitae, bonus et boni, sanctus et sancti, aut cum dicunt: quotiescumque Deum dico, in uno lumine et in tribus refulgetis, et, ut summatim dicam: quotiescumque huiusmodi locutiones invenire licet apud eos *patres*, hunc numerum definitum aut indefinitum de ipsis hypostasibus tantum accipimus et profitemur, quia et ipsi ita mentem suam exposuerunt[1].»

Nos non fugit, fratres nostri, verbum usurpatum a sancto Gregorio, episcopo Nyssae, quodam loco ubi illud invenimus cum illa voce « quaedam » coniunctum, de una natura * sanctae et coessentialis Trinitatis adhiberi. In libro enim quinto adversus impium Eunomium, qui incipit De sententia Petri apostoli, ita loquitur[2]: « Quia igitur Dei est haec vox in spiritu ore prophetico enuntiata, dogma hinc discimus, quod una quaedam est natura divina in seipsam collecta, indivulsa, prioritatem aut posterioritatem in se non admittens, etiam si in Trinitate praedicatur. » Non *haec* tantum; sed et sapientem in divinis Cyrillum novimus pari modo voce hac « quaedam » usum esse in libro primo Thesaurorum; ita enim loquitur[3]: « Iam cum quid simplex et incompositum sit divinitatis natura nunquam ratiocinatione in dualitatem Patris et Filii dissecta fuisset, nisi quadam differentia praedita reputaretur, non secundum substantiam dico, sed extrinsecus illata, per quam πρόσωπον utriusque inducitur, quod in hypostasi quidem propria ponitur, in unitatem tamen divinitatis, propter identitatem quoad naturam, constringitur. » Cessant igitur qui nos vocibus artificiose aggrediuntur et ad ipsa signa in diligenti indagatione sistunt. Ecce enim illud additamentum « quaedam » et de natura divina sanctae Trinitatis et de una persona adhibetur.

* p. 58.

[1] Cf. supra, p. 29. — [2] *Patr. gr.*, t. XLV, col. 684. — [3] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 141.

Haec a nobis dicta sunt ut demonstraremus hypostasim Filii essentiam a sanctis patribus vocatam esse. Quod autem et natura appelletur, exinde evidens est: Sapiens enim Basilius, in epistula ad Amphilochium, quae incipit Iam quaesitum est..., haec scribit[1]: « Sed cum Pater bonum primum sit, illud: * 'Nemo novit', audiendum esse de eo quod prius dictum est, credimus: Nemo novit Filium nisi Pater; etenim non illuc ignorantiae Spiritum accusat, sed cognitionem naturae suae primum Patri competere testatur. »

Cyrillum autem electum inter doctores audiamus, qui hac de re in libro sexto scripti ad Hermiam dicit[2]: « An porro dubium est, nonne potius extra contestationem, quod cum ipse sit virtus Dei ac Patris in pristinum statum creaturam renovat, non tanquam adscitus aut subintroductus, absit! sed potius vim creandi, naturae suae fructum et facultatem, habens sicut et ipse Pater? » Et post alia[3]: « Honorem igitur ac mercedem virtutis, divinitatis gloriam obtinuit Filius, et quod adorandus sit, non propriae naturae potestatem; sed meris et solis Patris placitis sortitus est.» Nos autem, fratres, cum audimus hunc patrem « fructum naturae eius » et « potestatem naturae propriae » dicere de hypostasi Unigeniti, merito nihil inhonestum vel incongruum admittimus in doctrinis orthodoxis per illud « eius » et « propriae ». Non enim aliquid extraneum substantiae, vel diversitatem naturae Filii respectu Patris, voluit introducere his quae scripsit, sicut etiam in toto illo tractatu aperte ex eius verbis patet hunc fuisse ei scopum praecipuum ut ostenderet unum et idem esse substantiam seu naturam sanctae et coessentialis Trinitatis. Illud igitur « natura eius » et « natura propria », a nobis intelligendum est in sensu « hypostasis eius » et « hypostasis eius propriae »; quo sensu tantum, sine investigatione in apologia Dominum nostrum diximus compositum «ex una natura Verbi propria et carne eius propria, *quae animata est anima rationali et intellectuali». Nemo igitur astute hanc propositionem violenter sollicitet, deducens eam in sensum incongruentem. Nihil enim aliud unquam

[1] Locus sane corruptus; cf. *Patr. gr.*, t. XXXII, col. 875. — [2] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 1058. — [3] *Ibid.*, col. 1065.

aut intelleximus aut significare et demonstrare voluimus quam id solum: ex hypostasi distincta Verbi et e carne eius propria animata anima rationali et intellectuali compositum esse credimus salvatorem nostrum Iesum Christum. Quod etiam magis patebit ubi de inhumanatione salutari Verbi, propter nos, disseremus.

Sed quid etiam scripserit sapiens Cyrillus in epistula ad Reginas, quae incipit Gloriatio quidem universalis..., post haec audiamus[1]: « Dicimus autem ipsum ex substantia Dei et Patris, inscrutabili modo, genitum esse Verbum eius unigenitum, quod est conditor saeculorum, per quod et in quo omnia *consistunt*, lumen verum, natura omnia vivificans; vivus enim apparuit tanquam ex Patre vita; novissimis temporibus, cum vellet Pater salvare genus humanum sub maledicto lapsum et per peccatum in mortem et ruinam prolapsum, semen Abrahae sumpsit, secundum Scripturas, et communicavit carni et sanguini, id est homo factus est ».

Hanc autem sententiam probati Cyrilli allegavit beatus patriarcha Severus, haec addens: « Ecce lucide Verbum unigenitum unam hypostasim Filii, unum ex Trinitate, naturam omnia vivificantem appellat, dum pro hypostasi nomen naturae adhibet.»

Satis fortasse erunt, eis qui sine dolo legent hunc tractatum, hae sententiae de hypostasi unigeniti Dei Verbi, quas ex theophoris patribus proposuimus, ad demonstrandum hypostasim Patris, rursum autem et Spiritus sancti substantiam et naturam appellatas esse ab eis[2]; * sed ob eos qui contentiose talibus obsistunt, necesse existimavimus ut paucas demonstrationes seligeremus ex illis quae ab eis scriptae sunt, ad explanationem eorum quae prius proposita sunt.

[III] Ponemus autem nunc quid dicant de hypostasi Patris. Quidem omnino superfluum existimatur quod quaeramus num substantia appellata est hypostasis Patris, cum tanquam fundamentum et firmitatem fidei accepimus e sancta synodo CCCXVIII a nobis confitendum esse Filium genitum e substantia Patris. Hisce

[1] *Patr. gr.*, t. LXXVI, col. 1205. — [2] Sic vertendum, mutata codicis interpunctione, ut suadet contextus.

igitur omnibus adhaerens, sanctus et doctor apostolicus pater noster Athanasius, in libro secundo adversus Arianos, dicit[1]: « Quomodo itaque per ipsum creat, nisi sit Verbum eius et sapientia eius? quomodo autem Verbum et sapientia sit, si non sit fetus proprius substantiae eius, sed unus de non existentibus ipse fuit? »

Et Cyrillus, sapiens interpres divinarum doctrinarum, in libro secundo tractatus ad Hermiam, ita scribit[2]: « Patrem quidem esse Deum et ex substantia sua vere nobis genuisse Filium, fides tradidit, Scriptura autem divinitus inspirata obsignavit et verum esse demonstravit, Patrem et generationem ubique nominando.» — Etiam substantiam Patrem appellatum esse clare docet Gregorius Nazianzenus quondam episcopus, qui totum orbem suis illustravit doctrinis, in tractatu De moderatione in disputando, dum ita dicit[3]: « Noli inquirere naturam Patris, ortum Unigeniti, gloriam et virtutem Spiritus sancti, unam divinitatem et glorificationem indivisibilem in Trinitate eorum, et naturam, et confessionem, et gloriam et spem eorum qui crediderunt. » Et simili modo, sapiens inter doctores, Cyrillus docet in secundo librorum ab ipso scriptorum * ad Hermiam, et ita dicit[4]: « Quod autem est absque principio, nec finem novit, Deum inquam, quomodo, dic mihi, non repugnaret legibus suae naturae, si proprio et naturali Filio principium tempore definitum tribueret. Esset enim hoc pacto diversae naturae et diversi generis qui nascitur, si ementiretur naturam sui genitoris. Res illa, opinor, haud abesset a deliramento. Nam qui generatur reputari distinctus a generante naturali diversitate, non multum recedit ab hoc quod sapit deliramentum. Itaque gignet secundum propriam naturam qui incorporeus est, ita ut non habeat in tempore generationem qui nascitur, sed cum genitoris essentia simul intellegatur et subsistat, nec eo posterior sit, si quidem procedit ex illo qui est sine principio et superat principium temporis.»

* p. 62.

[IV] Videamus autem iam quid de hypostasi Spiritus dicant sancti patres; videntur enim etiam de eo nomina naturae et substantiae similiter adhibuisse. Initium sermonis nobis praebebit Basi-

[1] *Patr. gr.*, t. XXVI, col. 192. — [2] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 756. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 198. — [4] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 768.

lius, sapiens in divinis, qui in epistula ad Amphilochium de Spiritu sancto, capite duodevicesimo ita scripsit[1]: «Simili modo et unus Spiritus sanctus, qui a creatura tantum distat quantum qui unus est ab his qui colliguntur et multi sunt. Patri autem et Filio in tantum unitus est, quantum consortii habet [unitas][2] cum unitate. Nec hinc solum demonstratur naturae communio, sed eo quod ex Deo esse dicitur; non sicut ex Deo sunt omnia, sed tanquam ex Deo procedens, non per generationem quemadmodum Filius, sed tanquam Spiritus oris eius. Omnino autem nec os membrum est, nec Spiritus est flatus resolubilis, sed * et os, prout Deo convenit, dicitur, et Spiritus substantia viva, domina sanctificationis; ita ut consortium quidem inde declaretur, modus autem substantiae ineffabilis servetur.» Et lingua divina, Gregorius episcopus Nazianzi, in libro de Spiritu sancto, haec scribit[3]: « Spiritus Dei dicitur Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini, ipse Dominus, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, Spiritus sapientiae, prudentiae, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, timoris Dei; ipse enim horum omnium auctor est, omnia substantia *sua* implens, omnia continens, mundum essentia sua implens, et non virtutem eius capit mundus.»

* p. 63.

Sed etiam « naturam » vocari Spiritum sanctum a peritis mysteriorum ecclesiae iam discamus ex his quae proponentur. Scribit itaque sanctus Basilius, in libro secundo adversus Eunomium, haec[4]: « Montani unius fuerat adeo in Spiritum insanire eumque tum nominibus humilibus dedecorare, tum naturam[5] eius adeo deprimere, ut dicat ignominia[5] afficere eum qui creavit illum.»

Simili modo in libro refutationum, propter Spiritum dicit[6]: « Non enim verborum prolatione creat Deus, etiam si, humano more, Dei[5] eloquia dicantur verba prolititia; neque aerii spiritus profusione ornantur caeli. Spiritus enim qui viventi Verbo ad creandum coniunctus est, viva potentia et natura divina, quae ineffabilis ex ore ineffabili apparuit, tanquam insufflatio quae in hominem emissa est, et secundum typum corporaliter mani-

[1] *Patr. gr.*, t. XXXII, col. 152. — [2] Sic ex graeco; vox lapsu omissa. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 160. — [4] *Patr. gr.*, t. XXIX, col. 652. — [5] Vide correctiones. — [6] *Patr. gr.*, t. XXIX, col. 728.

festatum a Domino nostro, rursus ab eo per insufflationem restituta.»

Probatus autem Cyrillus similia profert in libro secundo * p. 64. Thesaurorum, capite trigesimo quarto [1]: « Si, * quemadmodum Salvator ait, qui genitus est ex Spiritu Spiritus est; qui vero 5 talis est, non ex sanguine neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est: Deus itaque est, natura *sua*, Spiritus qui sanctos regenerat in unitatem cum Deo, quia in eis habitat et participes suae naturae eos efficit ».

His itaque selectis et probatis, manifestum est nomen « sub- 10 stantiae » et « naturae », aliqando quidem generice et significativum totius, aliquando autem de una persona quae in seipsa consideratur et cogitatur, a sanctis patribus sumi. Vocem autem « ipsius » et « proprium » a theophoris doctoribus de Patre et de Filio et de Spiritu sancto adhibitam esse, nec ullam cau- 15 sam scandali eis qui recte sentiunt paravisse, satis in supradictis sermo nobis demonstravit.

[V] Si autem, nescio quid volentes, nonnulli ex illis qui tendunt telas araneas, quibus cupiunt irretiri simplices, studeant nostra vituperare, aut aliter neglegentes dicant: Si unaquaeque hypos- 20 tasis, cum in seipsa consideratur, substantia est et natura: tres autem sunt hypostases sanctae Trinitatis: tres ergo substantiae et naturae tres invenientur: sciant *isti* se ipsos magis quam alios ignorantiae arguere. Ante omnia enim, perfectae insaniae est cogitare quod sub illationibus philosophicis et 25 disquisitoriis cadat sancta Trinitas, quae est supra essentiam et naturam, et superat omnem cogitationem, et omni imaginatione intellectuali sublimior est.

Huius rei testem, inter alios bene multos, Theologum Gregorium, nunc adducemus, qui in Oratione secunda de theologia 30 * p. 65. * ita scribit [2]: « Unum quippe circumscriptionis genus comprehensio quoque ipsa est ». — Et in homilia De unione monachorum [3]: « Praestantior et sublimior est Deus omnibus quae sunt; nisi quis malit eum supra substantiam ponere, aut in ipso quidquid est collocare, a quo etiam aliis ut sint concedi- 35 tur.» Et idem, in homilia inscripta De seipso, in descensu e navi ad eos qui Aegypto venerant, haec dixit [4]: « Duas summas

[1] *Patr. gr.*, t. LXXV, col. 592. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 40. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXV, col. 737. — [4] *Ibid.*, t. XXXVI, col. 248.

in iis quae sunt differentias reperio, dominationem et servitutem: non quas apud nos vel tyrannis scidit, vel paupertas disiunxit; sed quas natura distinxit, si cui ita loqui libeat; nam quod primum est, supra naturam quoque est. » Si itaque 5 et supra substantiam et supra naturam est, decipiunt seipsos qui consequentiis vocum naturalium submittunt divinitatem, maxime cum dixerit pater: « Unum genus circumscriptionis est etiam comprehensio ». Tamen, interrogemus eos: unamquamque hypostasim, cum in seipsa consideratur, Deum confi- 10 tentur nec ne? Sed confitentur, opinor, nisi penitus sanas cogitationes amiserint. Si autem unaquaeque hypostasis cum in seipsa consideratur, Deus est; tres vero sunt hypostases sanctae Trinitatis: iam se ipsos concludunt et delectantur tritheismo, potius polytheismo paganismi. Si autem abnuunt unamquamque 15 hypostasim, cum in seipsa consideratur, Deum confiteri, quod nunquam ausus est homo sanae mentis, audiant synodum CCCXVIII sanctorum patrum quae nos confiteri docet: « Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.» Sed, qui nominis * potitus est Theologi, in homilia De baptismo, dixit [1]: * p. 66. 20 « Deus unaquaeque earum in seipsa videtur, Deus tres simul cognoscuntur; illud propter eamdem substantiam, hoc propter unitatem principatus.» In homilia autem adversus Arianos [2]: « Nos autem adoramus Patrem et Filium et Spiritum sanctum Deum Patrem, Deum Filium, Deum — nisi tibi grave sit, — 25 Spiritum sanctum.»

Nos itaque, sicut saepius dictum est, recedentes ab huiusmodi ratiociniis, didicimus in unum credere Deum in substantia una et natura, in tribus autem hypostasibus seu προσώποις, nec unam deitatem dividimus, nec tres hypostases confundimus. 30 Malum enim aequale est in utroque; etiam si in oppositis inveniatur, sicut dixit quidam e sapientibus doctoribus.

Id etiam notum esse debet eis qui meditantur de divinitate: non in omnia quae e consecutione verborum apparent, omnino prosilire [3] decet eum qui divino timore eruditus est. Et audiant 35 rursum divinum Basilium qui id docet, et morem ei gerant ob rerum exactitudinem, nisi in theologicis se patre sapientiores, aut virtute sermonum se illo potentiores existiment. Dicit ita-

[1] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 417. — [2] *Ibid.*, col. 236. — [3] Vide correctiones.

que, dirigens sermonem ad impium Eunomium, in libro secundo[1]: « Neque hic ei permittendum est ut vocem illam « genuit ›. quae de Patre dicitur, mutans ac adulterans, « genituram » appellet Filium Dei. Non enim decet ut is qui divino timore eruditus est, in id quod ex verborum consecutione apparuerit facile prosiliat; sed debet, contentus nominibus quae in scriptura sacra occurunt, per illa, prout Deum decet, glorificationem * persolvere ». Et paulo post: « Magis quidem erat consentaneum, secundum istorum rationem, propterea quod genitus est, genituram vocari, non autem filium. Sed nequaquam dictum est. Proinde oportet eum qui Christi iudicium ob oculos habet, et qui novit quam periculosum sit quidquam subtrahere aut addere eis quae a Spiritu tradita sunt, non conari quidquam a seipso innovari, sed in iis quae prius a sanctis dicta sunt acquiescere. Si itaque nec usus communis, nec exemplum scripturarum admittit, id audere quomodo non sit supremae superbiae? » Audite doctorem qui dixit: Non est sine periculo, pro eo qui habet ante oculos tribunal Dei, addere quidquam de suo, aut minuere, in his quae optime et quantum possibile, relicta et tradita sunt nobis a sanctis; et supremae superbiae est quod quis a seipso aliquid innovet, nec stet iis quae antea ab illis dicta sunt. Quomodo itaque non merito cavebimus quid e nostris cogitare aut dicere: quod etiam nos non facturos iam superius professi sumus.

Necesse igitur iam nobis est ut qualem opinionem circa hoc: quod non deceat numerum naturarum aut substantiarum admittere in sancta et coessentiali Trinitate, teneant ipsi theophori patres mysteria ecclesiae callentes, quam perfecte possumus ex sententiis ab illis prolatis statuamus.

Et ecce iam supra[2] adduximus Theologum Gregorium qui, in tractatu inscripto De seipso in adventu episcoporum, per modum interrogationis ad quosdam dixit: « Quid enim dicitis vos, qui tres hypostases affertis? An quod tres essentias existimetis, id dicitis? Optime scio vos vehementer clamare * adversus eos qui ita sentiunt. Unam enim et eamdem *essentiam* harum trium profitemini. » — Et paulo post, quasi

* p. 67. * p. 68.

[1] *Patr. gr.*, t. XXIX, col. 584. — [2] Cf. p. 34.

alta voce contestatur: « Tria esse quae dividantur, non naturis sed proprietatibus ». — Et in libro adversus Arianos dicit[1]: « Nos adoramus Patrem et Filium et Spiritum sanctum; Deum Patrem, Deum Filium, Deum, nisi tibi grave sit, Spiritum sanctum; unam naturam in tribus proprietatibus, intellegentibus, perfectis, per se et in seipsis subsistentibus, quae numero dividuntur, divinitate vero non dividuntur.

Eadem et in libro laudatorio de Athanasio, principe in certamine pro fide recta, videamus patrem nostrum theologum sentire; ponit primum confessionem Athanasii et postquam refellit incongruentiam arianam: « At non beatus ille, inquit[2], et vere servus Dei, ac magna veritatis tuba; sed cum perspectum haberet tria quidem haec in numerum unum contrahere atheismi esse ac proprium innovationis Sabellii, qui primus divinitatis contractionem excogitavit; tria autem haec in naturas distrahere, portentosam esse divinitatis sectionem; hanc rationem tenuit ut unum, quantum ad divinitatem, pulcre servaret, et tria, quantum ad proprietates, congrua confessione doceret, nec in uno confusionem induceret, nec in tribus distractionem.» — Et rursum, in homilia De adventu episcoporum, haec scribit[3]: « Ut autem singula brevi percurram, quod principii expers est, et principium, et id quod est cum principio, unus est Deus. Nec vero, principio carere, eius, quod principio caret, natura est, aut etiam ingenitum esse. Non enim naturam aliquam *definit* id quod non sit, sed id quod sit, positio eius quod est, non eius quod non est sublatio. Nec principium, eo quod principium est, ab eo quod principio caret dirimitur; * non enim natura huic principium est, quemadmodum nec illi quod principii expers sit. Circa naturam enim haec sunt, non autem natura. Et id, quod cum principii experte et cum principio est, nihil aliud est quam quod illa *sunt*. Nomen quidem principii experti, Pater, principio autem Filius, ei vero quod cum principio est, Spiritus sanctus. Natura autem trium horum una est divinitas. Unio vero est Pater ex quo et ad quem referuntur, non ut confundantur sed ut cohaereant, utpote quae nec tempore, nec voluntate, nec potentia dividantur.

* p. 69.

[1] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 236. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXV, col. 1095. — [3] *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 476.

Illa enim *tria* ut multi simus effecerunt, hoc autem ut unusquisque in seipso et respectu alius stet. Quorum autem natura simplex est, et existendi ratio eadem, eis vox « unius » vere propria est. Deflexiones itaque contentiosas et accomodationes sermonis tribus partibus a nobis amoveamus. Nec per unum pro tribus Sâbellium imitemur, et per nefariam contractionem distinctionem tollamus; nec per tria pro uno Arium imitemur et per improbam sectionem unum destruamus.»

Et Gregorius, sanctus episcopus Nyssae, aperte in homilia cathechetica docet et dicit[1]: « Quomodo unum et idem cadat sub numerum et numerationi repugnet, divisibiliter consideretur et in unitate comprehendatur, distinctum hypostasibus et indivisum subiecto. Est enim alius hypostasi Spiritus et alius Verbum, et alius is cuius est Verbum et Spiritus.»

Et doctus patriarcha Severus, in epistula ad Iohannem et Iohannem, presbyteros et archimandritas: « Sancta Trinitas numerabilis quidem est hypostasibus; in quantum autem est una eademque substantia, extra numerum ponitur.»

Sed quam opinionem Gregorius et, cum eo in divinis versati, theologi doctores habeant de eis qui ausi erant numerum naturarum et substantiarum dividere, aut substantiam divinam dissecare, sufficienter * audivistis. [* p. 70.] Quaenam autem et divo Basilio circa hunc numerum placerent, qualem scilicet et quomodo in sanctam Trinitatem consentit illum admittere, audiat nunc, qui vult, quasi ex ore praeconis; in epistula ad illustrissimum Amphilochium, de Spiritu sancto, ait[2]: « Sed, o sapientissimi, sint maxime supra numerum quae non possumus assequi; quemadmodum prisca Hebraeorum pietas propriis signis ineffabile nomen Dei exarabat, et inde eius super omnia eminentiam declarabat. Si autem numerum adhibere decet, cavendum est ne hinc depravetur veritas. Aut enim silentio honorentur ineffabilia, aut pie numerentur sancta. Unus Deus Pater et unus Unigenitus. Unamquamque hypostasim singulariter efferimus; quando autem eas necesse est simul connumerare, nequaquam indocte ad plurium deorum notitiam numerando devenimus. Non enim secundum compositionem numeramus, ab

[1] *Patr. gr.*, t. XLV, col. 17. — [2] *Patr. gr.*, t. XXXII, col. 149.

uno ad plura incrementum facientes, ut dicamus unum, duo, tria, nec primum, secundum, tertium. « Ego enim Deus primus, et ego post haec[1]». Deum autem secundum, hactenus nunquam audivimus; nam Deum ex Deo adorantes, etiam proprietatem hypostasium profitemur; et manemus in uno principatu, in scissam multitudinem non dissipantes theologiam; eo quod forma, ut ita dicam, una est quae in Deo Patre et in Deo Unigenito consideratur, quae in immutabilitate deitatis continetur. Filius enim * in Patre, et Pater in Filio, siquidem hic talis est qualis [* p. 71.] ille, et ille qualis hic; et in hoc unum sunt; tamen quoad proprietatem προσώπων unus et unus, sed in communitate naturae unum sunt ambo. Quomodo igitur si unus et unus sunt, non duo dii *sunt*? Quoniam rex dicitur et imago regis, non autem duo reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur. Quemadmodum enim principatus ac potestas una est, sic et glorificatio quam illi deferimus una est, non multae; nam imaginis honor ad exemplar transit. Quod igitur hic est per imitationem imago, hoc illic naturalis imago est, Filius. Et quemadmodum in iis quae arte fiunt, similitudo est secundum formam, ita et in natura divina et incorporea, in communione deitatis est unio. Unus autem est et Spiritus sanctus, qui et ipse singulariter enuntiatur, per unum Filium uni Patri copulatus, et per se complens laudabilissimam et beatam Trinitatem. »

Postquam ex multis has paucas doctrinas patrum audivistis, confidenter iam obtestamur coram Domino nostro Iesu Christo, ut quemcumque numerum respuatis, definitum aut indefinitum, quoad substantiam seu naturam sanctae Trinitatis: eo quod nullibi traditur a probatis et mysteria callentibus, sed quoad hypostases tantum ab eis adhibetur. Citra congruentiam etiam opinor esse quod nonnulli excogitaverunt, qui omittentes numerum definitum ad indefinitum declinant. Si enim eo indefinite palam utuntur quidam, et essentias disiunctim aut naturas dicunt, in secreto ad tres usque eas definiunt. * Sciant autem [* p. 72.] et ab eis ablatum esse id effugium tacitum per sententiam, praesertim Gregorii Theologi quam aperte posuimus[2], quae ad

[1] Is., XLIV, 6. — [2] Vide supra, p. 48.

fautores suae opinionis dicit: « Quid enim dicitis vos, qui tres hypostases affertis? Fortasse eo quod tres essentias praedicetis, id dicitis? Optime scio quod vehementer clamaturi estis adversus eos qui ita sentiunt.» Et post pauca: « Tria sunt quae dividuntur, non naturis sed proprietatibus.»

Si autem non ad tres usque definiunt eas, necessario e duobus unum sit: aut hypostases ulteriores introducant in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti; quos tantum unum Deum adorare legem nobis statuit Dominus noster; aut per substractionem unius hypostasis seu, ut illi dicunt, substantiae vel naturae, redarguntur quod fraudem in sancta Trinitate machinantur. Decet itaque ne unum quidem numerum admittere quoad essentiam divinam et naturam, nec introducere pluralitatem essentiarum in hanc unicam Deitatem indivisibilem quae est in Trinitate; si autem alicubi invenitur numerus a sanctis patribus enunciatus, hunc de hypostasibus accipere debemus; sicut discere maxime licet ex his quae hac de re docet Gregorius theologus oratione in Lumen [1]: « Deum autem cum dico, uno lumine perstringamini et triplici; triplici quidem quantum ad proprietates seu hypostases, ut vocare cuidam magis arridet, vel personae, minime enim de vocabulis disputabimus quamdiu ad sententiam syllabae ducant; uno autem ratione substantiae seu deitatis. Distinguitur enim indistinctim, ut ita dicam, et distinctim connectitur. Unum enim in tribus deitas *et tres unum, eae nempe in quibus est deitas, seu ut magis proprie loquamur, quae [2] sunt ipsa deitas.»

*p. 73.

Non enim ubique videntur sancti patres abstinere a numero dicendo de substantia divina seu natura, sed cum sibi proponunt non in hypostases aut proprietates distinguere hoc unum substantia et natura quae eadem est ac illud. Sed et modum quo nos numeremus quando numerare decet, praedocuit nos laudatissimus Basilius.

Et talia de sancta et coessentiali Trinitate a nobis dicta sint.

[VI] Progrediamur autem iam ad inhumanationem unius e Trinitate, unigeniti Dei Verbi. Et primum sciamus: unionem, incarnationem, compositionem, theophori *patres* callentes mysteria

[1] ὑπὲρ φῶτος. *Patr. gr.*, t. XXXVI, col. 345. — [2] Vide correctiones.

ecclesiae, eam nominare, quia scilicet ex una natura Dei Verbi seu hypostasi et e carne eius propria, quae revera animata est anima rationali et intellectuali, unio facta est; cum neque Pater neque Spiritus sanctus incarnati sunt, aut compositi, aut inhumanati; qui enim incarnatus est, Deus Verbum, ipse et unitus, et compositus, et inhumanatus a sanctis patribus nobis praedicatur.

Audi itaque qualia dixit maximus inter doctores, pater noster Athanasius, in libro *inscripto* de Fide [1]: « Et *disputantes* quare, quomodo, qua consecutione, inde venerunt in infidelitatem etiam isti; et habitationem pro incarnatione constituerunt; et pro unione et compositione operationem humanam; et pro una hypostasi domini nostri Iesu Christi duas hypostases et πρόσωπα, et pro sancta Trinitate quaternitatem incongruenter et illegitime * excogitarunt; incongruenter quidem, quia Deo coniungunt hominem, et servum computant cum domino, et personam creatam personis increatis consociant; illegitime autem, quia unam hypostasim duas faciunt, dum inducunt in Trinitatem quartam hypostasim omnino peregrinam et genere aliam, quae aliena est omnibus creaturis rationalibus et otiosa vilisque.»

* p. 74.

Et doctrina probatus, doctor Cyrillus, id lucidissime confirmat, dum in libro προσφωνητίκῳ ad pium imperatorem Theodosium ita scribit [2]: « Mediatorem Dei et hominum, secundum Scripturas, compositum dicimus ex humanitate nostra, quae perfecte stat in ratione sui ipsius propria, et ex illo qui apparuit Dei filius naturalis, hoc est Unigenito. Affirmamus autem quamdam coitionem et concursum in unionem, quae verbis explicari nequit, naturarum disparium et inter se dissimilium; unum tamen agnoscimus Christum, et Filium, et Dominum qui, in eadem *unione* est et intellegitur Deus simul et homo.»

Non igitur fuit unio substantiarum et naturarum, quae sunt genericae et communes, id est, illius quae continet trinitatem hypostasium divinarum Patris, Filii et Spiritus sancti, et illius quae totum genus humanum, seu omnes homines, complectitur; sed tantum *unio fuit* Dei Verbi et carnis eius propriae, anima

[1] *Patr. gr.*, t. XXVIII, col. 123. — [2] *Patr. gr.*, t. LXXVI, col. 1157.

rationali et intellectuali praeditae, quam hypostatice sibi univit, dum nec Pater, uti dixi, nec Spiritus sanctus compositi sunt aut uniti sunt cum carne. Si autem quidam vitant aperte dicere Patrem et Spiritum sanctum incarnatos esse, seu Trinitatem sanctam, astute tamen et dolose ad hoc properare conantur, 5
* p. 75. dum nec bene nec sancte * verbis utuntur quas sanctus Dionysius Areopagita, in tractatu ad Timotheum de Divinis nominibus, adhibet cum scribit propter divinitatem quae in sancta Trinitate manifestatur: « Appellata est autem et philanthropa excellenter, quia nostris, vere et integre, per unam ex suis hypo- 10 stasibus, participavit.[1] » Et primum quidem confundantur a Severo, sanctae memoriae, qui non minus quam illi nec negligentius libros sancti Dionysii evolvit. Videtur enim, in eis quae ab ipso disputabantur, libris illius usum esse. Attamen nullo modo persuasus est ut admitteret incongruentiam eorum qui 15 dicunt substantias communes, id est divinitatem et humanitatem, in unionem et compositionem venisse; quam incongruentiam, etiamsi inconscii, necessario inducunt qui substantiam et deitatem sanctae Trinitatis per unam ex suis hypostasibus incarnatam esse machinantur. Huiusmodi viros itaque allocutus 20 est sanctus Severus — ut pauca e multis quae hac de re ab ipso dicta sunt referamus, — in capite xxviii libri secundi adversus Grammaticum, detegens eorum stultitiam his *verbis:* « Si quis substantias intellegit in significatione[2] communitatis et in notione universitatis, — quo sensu substantia continet 25 plures hypostases, nempe substantia deitatis tres hypostases Patris, Filii et Spiritus sancti, et substantia humanitatis hypostases singulorum hominum omnium, — et ex his compositum praedicat Christum, transgressionis et impietatis arguetur et praetera poenam derisionis solvet. » Et paulo post: « Illac 30
* p. 76. enim substantiae * in significatione universalitatis omnino distinctae sunt et separatae, et nunquam in mutuam compositionem veniunt, divinitas inquam, id est sancta Trinitas, et humanitas, id est totum genus humanum. » — Et haec quidem sanctus Severus. 35

Si autem volunt accurate verba sancti Dionysii per-

[1] Cap. I, n. 4. *Patr. gr.*, t. III, col. 592. — [2] Vide correctiones.

scrutari, nec inde causa quaecumque scandali erit eis. Ille enim beatus, tractare mysteria Christi solitus, dicit: « Appellata est autem et philanthropa excellenter, eo quod nostris, vere et integre, per unam e suis hypostasibus participavit, revocans 5 ad se et erigens humanam humilitatem ex qua, ineffabili modo, simplex Iesus consistit, ac temporalem extensionem accepit qui aeternus est; et intimae naturae nostrae adfuit qui totum ordinem omnium naturarum superessentialiter transcendit, cum immutabilitate et inconfusione ipsius proprietatum. » Non ergo 10 divinitatem, sicut isti dicunt, aut substantiam quae in tribus hypostasibus sanctis manifestatur, aut ipsasmet tres hypostases humiliavit in incarnatione per hypostasim *facta* Unigeniti, quem « simplicem Iesum » appellat propter simplicitatem quae antecedit incarnationem; etsi totam constitutionem nostram, 15 sibi hypostatice univit Verbum, perfectam et non imminutam, id est corpus anima rationali et intellectuali animatum, non autem sine mente vel sine anima, sicut Ario et Apollinario placet; nam *aliter* non integram fecisset salutem naturae humanae. Quod autem nihil aliud elici possit e vocibus scrutatoris 20 mysteriorum propositis, ipse fidus testis sit et suarum interpres, qui capite secundo eiusdem libri ita scribit[1]: « Certum est eximia * bonitate divinae operationis erga nos, quod sicut nos, e * p. 77. nostris integre et vere factum est essentialiter illud Verbum quod superat essentiam, et operatum est et passum est omnia 25 quae sunt divinae actionis et eius humanitatis, separata et distincta; eis enim Pater et Spiritus nullo modo participarunt, nisi forte quis dicat pulcra benevolentia et philanthropia; et secundum operationem divinam sublimem et ineffabilem quam exercuit, cum in forman nostram factus esset qui immutabilis 30 est tanquam Deus et Dei Verbum. »

Quae itaque e doctrina patrum inspirata quasi per circuitum collegimus, ut quantum possimus disponeremus, haec sunt, dilecti nostri. Ad vos enim dirigitur sermo noster, sicut iam initio tractatus diximus. Suademus autem praesertim philoso- 35 phis qui occurant et philoponis, ut continuo meditarentur haec Proverbiorum[2]: « Da sapienti occasionem, et sapientior erit;

[1] *Patr. gr.*, t. III, col. 644. — [2] *Prov.*, ix, 9.

notifica iusto, et addet ad recipiendum ». Et quidem vos optime sapientes et iustos esse demonstrabitis, eo quod non transgredimini definitiones antiquas quas posuerunt aut ponunt patres, sed tota virtute vestra fortiter tenetis ea quae semel ab eis determinata sunt, et id addetis quod *ea* recepturi, in eis firmiter 5 staturi, nec causam alterius disputationis eis facturi estis.

Cum autem nihil sit quod non audeat inimicus salutis nostrae non nobis mirandum erit si, post tantam vigilantiam et custodiam, utens malis impugnationibus malitiae suae, conetur per illas verba patrum quae hic scripta sunt aggredi, et tentet 10 ea pervertere, quemadmodum etiam verba scripturae inspiratae, * p. 78. * si quidem nec erga verba Domini id facere cessat; sed quibusdam sensus illorum minime rectos inserit; verbi gratia *horum:* « Pater meus maior me est »[1], et: « Descendi e caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit 15 me »[2]; et: « Ut cognoscant te solum Deum verum et filium quem misisti Iesum Christum »[3]; et illius[4]: « Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum »; et illius[5]: « Nemo novit hanc diem, nec Filius, sed solus Pater ». Numquid ergo quod heterodoxe huiusmodi sententiae ab haereticis intel- 20 legantur, nos dimissuri sumus rectitudinem in eis manifestam? Absit ut unquam ita discedamus, nec tantopere recedamus a Christo! Sed eos qui haec eligunt et sophistae mali ministrant, dimittamus, ut finem obtineant eorum quos suis moribus emulati sunt. Nos autem, dilecti nostri, vestigiis patrum adhaeren- 25 tes, et lucida eorum eruditione in doctrinis apostolicis in vitam enutriti, simul atque hi stabimus cum Christo qui est pax nostra! Fiet autem ut paci omnes participaremus si a nobis reppulerimus omnem mutuam inimicitiam contentionemque; nam scitis quod si quis causa perturbationis et divisionis eccle- 30 siae Dei fuerit, hunc, ut ait disertus Iohannes, archiepiscopus huius magnae civitatis Constantinopolis, ne sanguis quidem martyrii a condemnatione terribili et tremenda salvabit: a qua salvet nos, precibus suae matris et sanctorum martyrum, qui sanguinem suum pretiosum pro ecclesia fudit, Christus Deus 35

[1] Ioh., xiv, 28. — [2] Ioh., vi, 38. — [3] Ioh., xvii, 3. — [4] Ioh., xx, 17. — [5] Matth., xxiv, 36.

noster. Cui, cum Patre * et Spiritu sancto, gloria sit nunc et * p. 79. semper et in saecula saeculorum. Amen.

Explicit tractatus sancti et beati Theodosii, patriarchae Alexandriae Magnae.

5 Rursum, Epistula canonica eiusdem sancti papae Theodosii.

Quaestionem quae quidem ante paucos dies agitata est circa sanctam et coessentialem Trinitatem, et salutarem inhumanationem propter nos unius e Trinitate, Dei Verbi, sufficienter illustravimus; confessionem nempe apostolicam sanctorum et 10 theophororum patrum nostrorum exponentes ope tractatus quem paullo ante scripsimus et tradidimus; ut promptum est cuique volenti ab illo discere. Venerunt autem ad nos multi e religiosis et castis clericis et monachis ceterisque fratribus, hac de re gratias agentes, et doctrinam quidem patrum, ut 15 dictum est, in omnibus recipientes, tanquam sublimiter et apostolice profitendam; at alii aliis culpae vertebant quod non optime neque lucide scripsissent aut loquuti essent circa res disputatas, et suadebant ut quisque merito excusatione dignus haberetur, qui hunc solum a nobis compositum tractatum rece- 20 perit in his de quibus est questio.

Nos autem cum videremus perturbationem non mediocrem orituram e subtili disquisitione eorum quae non recte a quibusdam dicta aut scripta sunt, et multos etiam paratos esse ut propter * capita alia se invicem vituperarent, de quibus non * p. 80. 25 sinit tempus examen institui diligenter, dum sumus extra seden nostram et infirmitate corporis detinemur; placuit nobis primum quidem: ut omnes isti, viva voce, delerent quidquid ab ipsis aut ab quolibet alio, ex iis qui sunt in communione nostra, de hac quaestione scriptum aut dictum fuit. Quod factum est: 30 nam omnes omni diligentia et concordia abolitionem fecerunt eorum quae ab ipsis aut a quolibet alio e fide nostra, scripta aut dicta sunt, quaecumque sint aut quocumque modo dicta sint. Deinde vero nos etiam, merito huiusmodi deletionem confirmantes, *ea* dissolvimus et delevimus quasi nunquam dicta aut 35 scripta fuerint a quocumque viro ex nostris. Cum autem iam prius prohibueramus etiam illas accusationes quas inopportune nonnulli in invicem proferre parati erant, culpas omnium qui congregati erant in personam nostram suscepimus et iniunxi-

mus omnibus poenitentiam, deprecantes misericordem et philanthropum Deum ut veniam nobis concedat praeteritorum; et enixe singulos hortati sumus ut sine dolo mutuam caritatem quaererent, et in omni pace et regularitate iam, maxime sacerdotes, semper ambularent, continuas quidem orationes Deo omnipotenti offerentes pro pace mundi, et pro salute a Deo servati serenissimique regis nostri, et pro quiete dignae bona memoria, quae fuit domina nostra, Theodorae[1]. Promisimus etiam nonnulla capita scriptis coordinare ad delendam quidem omnem perturbationem et inordinationem, ad stabiliendam vero caritatem, quae Deo placet, et ordinationem. Cum autem omnes confessi essent se sufficienter satisfactionem habere in eis quae a nobis * definita sunt, mutuam pacem dilexerunt vinculo caritatis, et susceperunt mysteria incorruptibilia, et quieverunt in deliciis spiritalibus, gratias agentes Christo Deo nostro, qui est pax nostra.

Nos igitur, etiam hac in re implentes promissionem nostram et cupientes omnem causam schismatis a fidelibus removere, voluntatem quoque quorumdam impiorum et perturbatorum redarguere, intendimus huic scripto, cui subneximus etiam mandata ad stabilimentum, pacem et concordiam totius fraternitatis. Qui igitur nolunt ambulare post ea quae a nobis statuta sunt, sive in scriptis sive absque scriptis, sciant alienos se ipsos fecisse a communione nostra; neque canonibus patrum aut auctoritati pontificum se submittunt, sed una tantum est eis voluntas, ut scilicet specie religionis, et opinione quod sint e nostris, ecclesiam nostram, quod idem est ac dicere Christi *ecclesiam,* perturbarent; eorum etiam unicuique suademus ut ponat ante oculos suos tribunal Christi, et omnia iterum perpendat respectu vitae aeternae, et tota virtute sua declinet et recedat, ut ita dicam, a perditoribus et corruptoribus animarum simplicium et ordinis a quo omnia pendent. Non enim stolide praecipit vox apostolica declinare ab illis qui causant perturbationem et scandalum praeter doctrinam quam recepimus[2]. Corrumpunt enim vere mentes benignas, non solum conversationes cum haereticis sed etiam cum rebellibus.

Et quidem circa ea quae in scriptis et sine scriptis effati

[1] Mortua est anno 548, mense iunio. — [2] Cf. *Gal.*, I, 9.

sunt de hac quaestione, et ea quae parati erant fratres nostri casti sibi invicem crimini vertere, ita in Christo provisum est, eo quod debilitas corporalis et tempus, sicut antea diximus, non permittat nobis, dum sumus * extra sedem nostram, subtiliter aut diligenter talia discutere. Si autem deprehenduntur quidam inter communionis nostrae participes, qui, post hanc nostram definitionem, exponant, tradant aut defendant praetextu scripti sui aut aliorum, vel praetextu capitulorum, vel praetextu sic dicti πιττακίου, hanc quaestionem; quibus non sufficiat hic tractatus a nobis factus, et qui ei non adhaereant, sciant se, sine ulla misericordia aut dilatione sub paenam canonum incidere, utpote qui decretum universale nostrum irritum et resolutum profiteantur. Qui igitur habet aures ad audiendum audiat[1], non quidem nos, potius vero Christum, qui ad viros honore apostolico indutos[2] dixit[3]: « Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui misit me.» Qui autem spreverit, etsi dolorosum est dictu, spernet. Quilibet feret onus suum in die iudicii et reddet rationem iudici recto, et sciet se non verba nostra contempsisse, non in paupertatem nostram se extulisse, sed in hunc ipsum iudicem terribilem, quem nihil latet, qui maxime exaltans honorem apostolicum et demonstrans magnitudinem sacerdotii, dixit in sancto evangelio[4]: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, eum spernit qui misit me »; et rursum dixit[5]: « Quidquid ligaveritis in terra erit ligatum in caelo, et quidquid solveritis in terra erit solutum in caelo ».

Omnibus religiosis clericis, et eis qui participes sunt nostrae communionis, et per gratiam Dei atque misericordiam pacifici imperatoris nostri in hac regia urbe ministrant, et sacerdotium legitime acceperunt, * per caritatem Christi, praecipimus quae infra notantur.

I. Canon primus. Nemo iam sine consilio faciat aliam congregationem[6], et nemo ex illis qui praesunt[7] recipiat sodalem alium, nisi ratione peregrinationis ad breve tempus, donec fiat de eo inquisitio, et ad id licentiam accipiant qui sunt in hac congregatione.

[1] MATTH., XI, 15. — [2] Vide correctiones. — [3] MATTH., X, 40. — [4] LUC., X, 16. — [5] MATTH., XVIII, 18. — [6] Seu conventiculum. — [7] Cf. can. III.

II. Canon secundus. Nullus fratum qui pusillanimitate e congregatione, quaecumque sit, egressus est, recipiatur in alia, nisi prius examinatum fuerit eius negocium et correctionem acceperit, sicut decet.

III. Canon tertius. Nemo eorum qui praesunt congregationi propria auctoritate, ob delictum quodcumque, eiciat aliquem ex his qui cum eo sunt, ante iudicium; sed primum quaeratur de illo, et sic quidquid videbitur statuatur in illum.

IV. Canon quartus. Nemo e sacerdotibus, ob delictum quodcumque, quod accidit et commissum fuit ab uno fratrum suorum qui in numero sacerdotum computantur, ne quidem verbo stolido dicat: « Non psallam ego, aut non orabo ego, aut non ministrabo ego cum eo qui deliquit »; sed exspectet donec fiat disquisitio congruens de illo fratre, et is iudicetur dignus esse huiusmodi paenae, dico autem non psallendi, non orandi, non ministrandi cum ceteris fratribus.

V. Canon quintus. Nemo e clericis, stolide aut sine scriptis, accuset * fratrem suum, cum iam non agitur de aliqua pusillanimitate quae paenam canonicam non meretur; sed in scriptis proferat accusationem; et si non valet *eam* congruenter firmare nec potest demonstrare, sicut requirunt canones ecclesiastici, subditus sit ipse accusator paenis quas passurus erat accusatus si verum inventum esset quod adversus eum dictum fuit.

* p. 84.

Scitote autem vos omnes: quemcumque non recipientem hos canones non esse e nostris, sed per rebellionem suam seipsum a nobis et ab universa fraternitate praecidisse.

Explicit epistula canonica sancti et beati papae Theodosii patriarchae Alexandriae magnae, nec non Tractatus ab eo factus propter quamdam haeresim eius diebus suscitatam a nonnullis eius communionis fidelibus, circa tres essentias et tres hypostases Patris et Filii et Spiritus sancti.

EXEMPLAR SUBSCRIPTIONIS quae facta est a sacerdotibus Constantinopoli degentibus, et tradita est beato papae Theodosio, qui ipse huic subscribere eos qui in comitatu suo erant exegit.

Longinus, gratia Dei sacerdos ecclesiae Alexandriae, ego omnino recepio Tractatum nunc editum a beato archiepiscopo Alexandriae Theodosio, de sancta et coessentiali Trinitate; adhaereo universae doctrinae in eo propositae; remotos iam habeo [qui aliter sentiunt] [1] ab ecclesia sancta * Dei, quae est apud nos, et anathematizo quemque qui audet dividere unam divinitatem indivisibilem et essentiam et naturam sanctae et coessentialis Trinitatis, et docet aut praedicat aut cogitat tres deos aut tres deitates, aut tres substantias, aut tres naturas, aut tres quosdam deos, aut tres quasdam deitates, aut tres quasdam essentias, aut tres quasdam naturas, aut absolute essentias et naturas; unam enim et eamdem deitatem et essentiam et naturam cognoscimus et confitemur in tribus hypostasibus seu προσώποις Patris et Filii et Spiritus sancti, unius Dei, « qui est super omnia et per omnia et in omnibus.[2] »

* p. 85.

Anathematizo pariter eos qui audent docere aut praedicare aut cogitare deitatem, quae adoratur in Trinitate sancta et coessentiali, id est substantiam et naturam sanctae Trinitatis, per unam e suis hypostasibus incarnatam esse, et non confitentur solam hypostasim Dei Verbi, — quam, cum in seipsa consideratur, quemadmodum et illam Patris et Spiritus sancti, vere Deum et substantiam et naturam agnoscunt et appellant sancti patres, — incarnatam esse e Spiritu sancto et sancta deipara semperque virgine Maria, in carne quae nobis consubstantialis est et animata anima rationali et intellectuali; et solam compositam esse et inhumanatam, cum neque Pater neque Spiritus sanctus compositus est cum carne aut inhumanatus est. Nec propterea numerum, quicumque sit, deitatum aut substantiarum aut naturarum admitto in una substantia indivisibilis divinitatis et natura; sed in ipsis tantum hypostasibus hunc *numerum* agnosco. Sancta *enim* Trinitas * numerabilis est in hypostasibus; in quantum autem una et eadem in substantia, est citra numerum; tres *hypostases* sunt quae distinguuntur non naturis sed proprietatibus.

* p. 86.

Eos igitur qui quocumque modo, vel ex parte, non consentiunt doctrinae illius Tractatus anathematizans, ego subscripsi propria manu.

Explicit subscriptio Mar Longini sacerdotis ecclesiae sanctae Alexandrinae.

[1] Haec aut similia fortasse exciderunt. — [2] *Eph.*, IV, 6.

EPISTULA PATRIARCHAE MAR THEODOSII ALEXANDRIAE AD EPISCOPOS ORIENTALES.

Sanctissimis fratribus et collegis nostris, Iacobo[1], Cononi[2], Eugenio[3] ceterisque venerabilibus episcopis in Oriente degentibus: Theodosius.

Dominus quidem noster et Deus, Iesus Christus, quia bonus est et fulcrum omnium, congruentem curam agit salutis totius orbis et maxime perfectionis ecclesiae sanctae, pro qua etiam proprium sanguinem fudit, qui mortuus quidem est in carne, vivit autem Spiritu[4]. Non autem propterea nos a praxi virtutum desistere decet, causam pigritiae assumentes divinam providentiam, sed potius offeramus quod est in potentia nostra, ut, si nihil aliud, saltem aliquam condonationem peccatorum ab eius bonitate obtinere mereamur. Haec a nobis dicuntur ad sanctitatem vestram eo quod, ex quo beatus frater noster et collega, qui cum sanctis est, Sergius, migravit ad Deum non cessavimus, in summa vigilantia, cogitationes multas de illo * meditari; non solum quod orbati sumus conversatione decora eius sacerdotii et eius vitae, — id enim etiam satis est ut tantam tristitiam nobis causaret, ut mos est, — sed quia et subversionem quae nunc viget in sanctis ecclesiis, et senectutem nostram debilitatemque corporis consideramus. Verum dico, fugiebat somnus ab occulis meis, sicut alicubi[5] dixit mirabilis Iacobus. Non enim vos latet, fratres honorati, solitos esse homines ut, post vicissitudines diei talia cogitent, quando iucunditas quietis sollicitudines bene multas dissipavit; pluribus vicibus, sicut psalmista, nocte cum corde meo meditabar, et scrutabar spiritum meum[6]. Sed exinde usque nunc, dum huc illuc procella agitabar, non mihi datum est ut cogitationi meae intentus requiescerem. Quando enim comam meam intuebar, quae alba est et iam matura ad messem, et rursum recogitabam infirmitatem corporis, et quomodo civitas christophila Antiochenorum orbata nunc est pastore sancto et legitimo, plus minus in mortem resolvebatur anima mea, dum exspecto adventum terribilem Christi et condemnationem sequuturam.

* p. 87.

[1] Iacobus ep. Edessae, vulgo Baradaeus, e quo « Iacobitae » dicuntur monophysitae orientales. — [2] Ep. Tarsi. — [3] Ep. Selenciae Isauriae. — [4] Cf. I PETR., III, 18. — [5] *Gen.*, XXXI, 40. — [6] *Ps.* LXXVI, 7.

Quando autem mente revolvebam ea in quibus versor, et quanta decet ut agerentur, scriptis et sine scriptis, in hac utili correctione communitatis, non minus eodem dolore vehementi detinebar, ne forte cum id notum esset, multis sit occasio persecutionis, mortis aliarumque aerumnarum. Et iam ad verba beatae Suzannae confugiebam: angustiae mihi sunt undique[1], dicebam, et auxilium de caelo invocabam.

Nunc autem cum * filius meus religiosus abbas Paulus, archimandrita, a nobis mitteretur[2] ad invisendam quidem fraternitatem eius sanctam, sed ob negocium principum ecclesiarum qui alio tempore aliter nobis orti sunt in ipsa civitate, de quibus scribere haud necessarium nobis visum est, nam admoniti malitiam plurimorum necesse existimavimus ut per amorem verum dilectionis Dei, quae in eo est, vobis scriberemus, venerabilibus, et manifestaremus cogitationes nostras. Nam virtutem possidet, per gratiam Dei, caritas divina quae in eo est, ut vices nostras gerat, et omnia vobiscum perpendat legitime et canonice, quae ad praedictam afflictionem *spectant*, et quid nunc secreto deliberatum est propter unionem ecclesiarum sanctarum Dei. Scripta autem ad Armenos, cum istis scriptis brevibus nostris misimus. Oramus quidem Christum, datorem bonorum, ut non secundum multitudinem peccatorum meorum, sed secundum amplitudinem misericordiae suae, disponat coram vobis omnia quae proponuntur: per orationes et deprecationes deiparae sanctae Mariae, et sanctorum eius ab aeterno. Amen.

* p. 88.

Id etiam notum facimus sanctitati vestrae: Voluimus mittere ad eam Mar Cononem, propter negotia praesentia: sed obstitit religiosus Mar Athanasius[3], cum diceret, quod etiam nos maxime persuasum habuimus, opportunum esse ut nunc hic adsit eius sanctitas; at vero Mar Eunomium[4], cum liber sit ab eis quae de Mar Conone dicta sunt a religioso viro, ipso rogato, misimus secreto; omnes vero opinantur eum exiisse in vicos gloriosi Mar Petri, sicut mos ei est exeundi singulis annis, et paulisper per aliquot dies deambulandi.

Suadeo * igitur, cum legerit sanctitas vestra hanc epistulam nostram, date illam ei, qui saepius dictus est, archimandritae.

* p. 89.

[1] Cf. DAN., XIII, 22. — [2] Vide correctiones. — [3] Monachus, Theodorae imperatricis nepos. — [4] Ep. Amidae.

Orate pro nobis et salutate fraternitatem Christi quae apud vos est.

Subscriptio papae.

RURSUM, EIUSDEM EPISTULA AD EPISCOPOS ORIENTIS.

Epistula quae per religiossimum archimandritam in manus 5 sanctitatis vestrae tradetur ad vos scripsimus, profecto nec revelavimus eius pietati, *quid sit in ea*. Magno igitur cum gaudio onus accepit descendendi in navim ut ad vos tanto itinere perveniret. Haec autem epistula, Deum testem invoco et conscientiam meam, neque ei neque vero alii revelata est, nisi ei qui 10 scripsit; et hoc post exactum iusiurandum et mandato nostro ei imposito ne cuiquam haec diceret.

Propterea ita egimus ut omni modo, adiuvante Deo, possetis ad opus ducere quod per gratiam supernam constituimus. Sicut enim ait apostolus divinus[1], quod nunc scribo, in 15 Domino scribo vestrae sanctitati. Nec decet vos ullo modo diffidere; sed cum omni iucunditate et gaudio spiritali, legitime et congruenti ordine studere debetis ut impositione manuum in loco beati Sergii[2] fratris nostri, quod idem est ac dicere *in loco* eius, qui cum sanctis est, patriarchae Severi, hunc religiosissi- 20 mum abbatem Paulum perficiatis. Evidenter, et nos vobiscum stamus * spiritaliter et vobis adsumus, et in omnibus participes (* p. 90.) sumus huius negotii. Confisus sum enim, et persuasum habeo in Domino nostro, et decet etiam sanctitatem vestram fiduciam habere, ad gloriam et honorem Dei esse quod peragendum est; 25 sed statim et quantum possibile est secreto studete ut id perficiatis; ideo brevi etiam scripta synodica ad nos perveniant pro more confecta; me enim et senectus, et infirmitas et curae continuo premunt.

Venerabili fratri nostro Mār Eunomio laborem imposuimus 30 vos adeundi, eo quod ipsi quidem piisimo archimandritae non poteramus haec scripta manifestare, neque alii viro, quisquis est; itaque et ipse rem ibi discet, cum iam erit apud vestram sanctitatem.

Unitas in Trinitate, id est Deus noster, adiuvet et servat 35

[1] Cf. *Gal.*, I, 20. — [2] Sergius, Severi successor, mortuus est anno 563; consecratio Pauli anno 566 peracta est.

in omnibus sanctitatem vestram, precibus sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae, et omnium sanctorum qui ei placuerunt. Amen.

Subscriptio: Ut sani sitis et memores nostri, Deum oramus, 5 fratres honorati.

EPISTULA SCRIPTA AD SANCTUM ET BEATUM PATRIARCHAM THEODOSIUM AB EPISCOPIS IACOBO, EUGENIO ET EUNOMIO.

Domino nostro sancto et beato spiritali, patriarchae oecumenico Theodosio: Iacobus, Eugenius, Eunomius, miseratione 10 Dei episcopi.

* Christus Deus, qui sanguine suo ecclesiam sanctam redemit, (* p. 91.) qui dixit[1]: « Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et potestates inferni non evertent eam », cum etiam nunc per gratiam suam operatur, opera, pro more, sollicitudine beatitudinis 15 vestrae peracta sunt. Nos enim humiles iam a longo tempore consilium ceperamus petitionis ei proferendae, tanquam curam gerenti sedis apostolicae Theopolitarum[2], ut deprecetur Deum qui habitat in ea, ut manifestaret vobis virum huiusmodi ministerio dignum, quem deceat accedere in locum eius qui ad Domi- 20 num nostrum migravit, archiepiscpi praedictae civitatis, Sergii scilicet, viri sanctae memoriae, quod idem est ac dicamus Severi, qui inter sanctos est, doctoris oecumenici: beatitudo autem vestra a Deo commota est, et oculis propheticis, ut ita dicamus, petitionem nostram praevidit per suggestionem vene- 25 rabilis Pauli archimandritae, quem nos etiam e superiore probatione dignum esse dictae sedis apostolicae iudicavimus, testante nobis conscientia. Etiam scribere dignata est ad nostram parvitatem, se e gratia superna persuasum habuisse, huiusmodi promotionis dignum esse venerabilem virum praedictum; et 30 idcirco nobiscum spiritu in eius consecratione se adesse affirmavit; cum fidem faceret nobis, qui vestri sumus, per scripta sua veneranda, neminem harum esse conscium praeter eum unum qui scripsit epistulam, qui etiam prius mandato vestro ligatus fuerat ne cuiquam revelaret hoc consilium vestrum Deo 35 gratum. Idcirco et nos, postquam intelleximus consilium ves-

[1] MATTH., XVI, 18. — [2] I. e. Antiochiae.

trum, statim cum omni studio mandatum vestrum ad opus deduximus, quia intelleximus quod fortasse, cum perciperet vir iste * industriam vestram laudabilem circa seipsum, fugeret, et sine effectu remanerent quae a vobis prescripta erant et a nobis curanda. Cum itaque consilium circa dictum venerabilem virum a Domino Deo esse crederemus, cum magna iucunditate, quemadmodum decet, mandatum vestrum sanctum ad opus deduximus, et praedictum venerabilem Paulum abbatem impositione manuum instituimus in sedem apostolicam magnae civitatis Theopolitarum. Et ut haec per nostram hanc exiguam expositionem ad notitiam beatitudinis vestrae pervenirent solliciti fuimus, ita ut ipsa etiam, quae a nobis facta sunt adhaesione consilii sui confirmet, sicut antea promisit, et rata habeat quae voluntate Dei peracta sunt, per orationes sanctae et vere Deigenitricis Mariae omniumque qui ei placuerunt. Amen.

* p. 92.

Subscripsimus autem huic exiguae expositioni, unusquisque propria manu.

Nobis salvus esto in Domino, pater sancte, et ora pro paupertate nostra.

I. Iacobus, gratia Dei episcopus, qui feci propositam ordinationem venerabilis Pauli patriarchae, cum Eugenio et Eunomio, venerabilibus episcopis, signavi propria manu.

II. Eugenius, gratia Dei episcopus, qui feci propositam ordinationem venerabilis Pauli patriarchae, cum Iacobo et Eunomio, venerabilibus episcopis, signavi propria manu.

III. Eunomius, gratia Dei episcopus, * qui feci propositam ordinationem venerabilis Pauli patriarchae, cum Iacobo et Eugenio, venerabilibus episcopis, signavi propria manu.

* p. 93.

IV. Conon, gratia Dei episcopus Tarsi metropolis christophilae, a longo tempore oro ut post obitum eius qui cum sanctis est, patris nostri et archiepiscopi Sergii, seu Severi theophori, manifestaretur archiepiscopus civitatis Theopolitarum; et cum didici a beatitudine vestra, et ab expositione virorum venerabilium qui supra adscripti sunt, consilium beatitudinis vestrae de ordinatione venerabilis Pauli, particeps sum consilii et confirmator negotii propositae ordinationis, idcirco cum gaudio probavi, signavi propria manu.

V. Iohannes, gratia Dei episcopus civitatis Qennešrayē, novi, et a longuo tempore oro ut post obitum eius, qui cum sanctis est, archiepiscopi Sergii, seu Severi theophori, manifestaretur archiepiscopus Theopolitarum; et cum didici a venerabilibus episcopis qui supra adscripti sunt consilium beatitudinis vestrae de ordinatione venerabilis Pauli, consilii particeps sum et confirmator huiusmodi ordinationis. Et cum mos antiquus est ut qui est de provincia Theopolitarum particeps sit ordinationis eius cui sedes apostolica concreditur, idcirco cum gaudio adprobans, signavi propria manu.

VI. Iohannes, gratia [Dei] episcopus Epiru civitatis[1] Seleucensium, scientiae meae conscius, notum facio domino meo beato papae Theodosio, utpote * qui a tempore oro ut videam eum cui, post obitum viri sanctae memoriae archiepiscopi Sergii, seu Severi theophori, concederetur ut fiat archiepiscopus civitatis Theopolitarum; et postquam didici a venerabilibus episcopis qui supra adscripti sunt consilium beatitudinis vestrae de venerabili Paulo, et de ordinatione ei collata, consilii particeps sum et confirmator huiusmodi ordinationis. Et quia mos antiquus vult ut qui est de provincia episcopi Theopolitarum particeps sit ordinationis eius cui sedes apostolica concreditur, idcirco consentio, sicut dictum est; signavi propria manu.

* p. 94.

VII. Sergius, gratia Dei episcopus[2], legi praesentem chartam, et accepi ordinationem venerabilis Pauli, quae legitime facta est a Iacobo, Eugenio et Eumônio, patribus nostris venerabilibus; et consentiens signavi propria manu.

VIII. Iohannes, gratia Dei episcopus[3], legi praesentem chartam, et accepi ordinationem venerabilis Pauli, quae legitime facta est a Iacobo, Eugenio et Eunomio, patribus nostris venerabilibus; et consentiens signavi propria manu.

Exemplar epistulae quae facta est Constantinopoli a venerabili Mar Theodoro, quia non adfuit, nec subscripsit epistulae communi venerabilium episcoporum.

Domino meo sanctissimo et beato patri spiritali et doctori, archiepiscopo et patriarchae Paulo, Theodorus.

[1] Ms. « Epiropolis », nomen inauditum, corruptum videtur e gr. Πιερία. — [2] Ep. Ḥarran (Charrae). — [3] Ep. Saurae.

* p. 95. * Laudabilis omnino est qui omnem sollicitudinem adhibet ut liberet animam suam ab omni inquinatione peccati, maxime vero a vana gloria et inani phantasia et a malis ex his orientibus. Scriptum est enim[1]: « Beatus vir qui omnia veretur per modestiam.» Cum itaque haec a se removit sanctitas vestra, et ad solum Deum mentem suam defixit, id ei datum est ut in angustiis sit cum populo Dei; nam non suorum tantum sed etiam plurimorum, ut viverent, sollicita est.

Quia vero his quae facta sunt non aderam, necesse mihi visum est, ut per hanc meam epistulam miseram ad vos, beati, properarem; nam ordinationem vestram et manuum impositionem in patriarchatum, secundum Christum, quasi praesens essem et perfecissem, reputavi; et de stabilitate pacis ecclesiarum Dei sanctarum gaudens, eam accepi. Ut ea renideatis, ego infimus deprecor, quemadmodum in illa resplendet is qui cum sanctis est, pater noster et patriarcha et doctor totius orbis, sanctus Severus. Cuius precibus, et precibus eius qui nunc stat et ecclesiam sanctam Dei ubique dirigit, qui, post Deum, dominus noster est et a Deo servatur, sancti et beati patriarchae Theodosii, precibus etiam vestris, liberemur ab omni astutia Calumniatoris et malitia humana, et in fide recta et immaculata, in mutuo amore, vero et fraterno, servemur omnes, deprecamur.

Exemplar subscriptionis: Theodorus gratia Dei episcopus e dioecesi orientali[2], cum sanxi et consilii particeps fui * p. 96. * in ordinatione vestra legitima, notum feci et signavi propria manu.

RURSUM, EPISTULA SANCTI PATRIARCHAE THEODOSII AD EPISCOPOS ORTHODOXOS ORIENTIS.

Sanctissimis fratribus et collegis nostris, Iacobo et ceteris venerabilibus episcopis in Oriente: Theodosius.

Quando accepi epistulam divinae caritatis vestrae, per piissimum fratrem communem et collegam nostrum Eunomium, quae significat vos, in Christo, venerabilem Paulum pastorem et archiepiscopum ecclesiae magnae Antiochenorum seu Theopolitarum impositione manuum fecisse, adeo in spiritu vera

[1] *Prov.*, XXVIII, 14 (LXX) — [2] Ep. modo Bostrae, modo Hirthae dicitur.

beataque exultatione exultavi ut, ab infirmitate corporali per laetitiam spiritalem denuo recreatus, saltationem instituerim et gratiarum actionem Deo egerim; et hanc sacram sententiam gratitudinis plenam usurpavi: « Domine, in tribulatione dilatasti me[1] ». Quod enim, dum in persecutione trahimur et in angustiis, et iam ad occasum vitae declinavimus, talis vir, qui aedificaturus est ecclesiam Dei, promotus fuerit, vere opus est eius qui omnia sapienter gubernat, et omni tempore secundum necessitates utilia ministrat, et super lapidem firmum et verum fundavit ecclesiam suam. Quemadmodum enim, cum sit mare placidum et tranquillum fletque ventus a puppi navis, etiam imperitus, si acciderit, navim salvet, * p. 97. * sed *cum* tempestas oritur et procella, non potest salvari navis, nisi gubernator recte se gerat in gubernatione, et per dexteritatem suam sapienter luctetur mari vincatque: ita quoque est status ecclesiarum; cum pax regit res nostras, satis sunt ad institutiones, etiam cum pluribus destituatur, ei qui capiti praepositus est, mores et firma politia, ut in optimam vitam dirigat gregem. Quando autem, sicut nunc, venti haereticorum undique flant et tempestates vehementes susistantur, timendum est ob mala artificia luctuosa, quae corruperunt fidem rectam et immaculatam, ne submergatur in procella impietatis, ille cui credita sunt gubernacula ecclesiae, nisi peritus sit operis et verbi habeatque virtutem, gratia Dei, ut navim suam salvaret[2], ut increpet ventos haereticos et mari salso et amaro impiarum doctrinarum dicat: Quiescas, et dissipentur fluctus tui! Talem nobis ostendit Spiritus sanctus Paulum philotheum, de quo etiam nobis probatio multa adest, qui viriliter decertavit multis vicibus, qui seipsum in periculum praecipitavit in perturbationibus propter ecclesiam, qui etiam, confisi sumus in Deo salvatore nostro, *eam* brevi ad requiem deducturus est, cum nihil perdiderit, sed auxerit labore suo in negociatione spiritali pecuniam sibi commissam a Domino. Quod autem etiam in scriptis vestris consignatum est, *nempe*: vobis quoque id placere et vos eum considerasse, etiam ante decretum nostrum, quasi virum throno apostolico dignum prout e probatione anteriore iudicavistis, id

[1] *Ps.* IV, 1. — [2] Vide correctiones.

miratu dignum est et simul valet persuadere, eis qui noverunt recte iudicare, hunc desursum a Patre [* p. 98.] * luminum accepisse ordinationem. Quod enim nobis omnibus eadem sententia fuerit de eo, quamvis alius ac ipse prius propositus est, manifesto id a Spiritus providentia accidit; quod autem secreto et simul prudenter peracta fuerit manuum impositio hoc vere a prudentia vestra spiritali et sapienti evenit, dum ad exemplum respexistis et ad imitationem eorum qui temporibus similibus sapienter rexerunt ecclesias, ut facile est cuique volenti discere, dum legit historias ecclesiasticas.

Scripsimus autem responsionem, secundum legem ecclesiasticam, etiam ad epistulam eius sanctitatis synodicam; confirmavimus et sanximus quae ad Dei placitum facta sunt, et spopondimus nos firmos mansuros in communione cum eo, et inseparabiliter perpetuo custodituros unionem cum eo, quod idem est ac dicere cum patre nostro, qui inter sanctos est, lumine oecumenico et doctore Severo, et cum Sergio sanctae memoriae. Quod cum vobis gratum esse novi, necesse reputavi id manifestum facere vestrae sanctitati, et simul incito vos ut magis oretis pro me. Scio enim Deum servorum suorum voluntatem facere et eorum orationes exaudire, secundum sententiam psalmistae prophetice canentis [1].

EPISTULA SYNODICA VENERABILIS ARCHIEPISCOPI ANTIOCHIAE MAR PAULI AD SANCTUM THEODOSIUM ARCHIEPISCOPUM ALEXANDRIAE.

Domino meo, sanctissimo et beato, principi decertantium pro veritate et confessori, fratri et collegae, [* p. 99.] * archiepiscopo magnae urbis Alexandrinorum, Theodosio, Paulus: in Domino nostro laetare.

Omnia exiguitas mea exspectavisset [2] potius quam tam misere decipi per vos, beatos, quos, post Deum, lumina et adiutores necessario prae ceteris semper habui, et me habiturum sperabam; hoc quidem per orationes, illud autem per consilia matura et commonitiones paternas, vobis amoventibus a me an-

[1] *Ps.* CXLIV, 19. — [2] Vide correctiones.

gustias, quae per vigilantiam vitari possunt; sed, ut videtur — permissum enim est ei qui angustiatur dicere quod inordinate ausus est, — non solum « omnis amicus in dolo ambulat, et non solum frater supplantatione fratrem supplantat », sicut dicit scriptura divina [1]; sed iam patres in filios delinquunt, et senectus iuventuti illudit, et princeps civitatis religiosae morem calumniae variegavit, et id adversus filium obedientem et docilem. Hoc est miseria magis quam violentia. « Loquar enim dum in tribulatione spiritus mei versor, aperiam os meum dum in amaritudine animae detineor », quemadmodum alicubi ait Iobus [2]. Et id lucri comparo haec loquendo, ut aliis fiam exemplar vigilantiae, ne credant seipsos nisi Deo soli, qui purus est et simplex et omni calumnia sublimior.

De patriarcha autem Abrahamo narrat liber divinus, cum a Deo probaretur, seu ut verius loquamur, cum ab eo manifestatio fidei in utilitatem nostram exigeretur, prius ei dictum fuisse ut ad altare duceret Isaacum, unigenitum et dilectum *filium*, e repromissione ei natum, et eum obedivisse alacriter; et statim ad deceptionem pueri intendit, praetextum arripiens adorationem divinam quae decebat * [* p. 100.] hunc senem Dei amicum. Et ille quidem tempore opportuno meminit hostiae; deceptus est autem a genitore suo, et fidem habuit verbis patris, et portavit alacriter progrediens ea quae sibi ipsi contraria erant. Quid enim timere potuit ab his quae pater meditabatur et iubebat?

Sed nihil tantum aut tale quando is quidem decipiebat, ille vero decipiebatur, quantum aut quale mihi accidit. Ibi enim, — ut silentio praetermitterem quod mystice in his quae peracta sunt significabatur mysterium Christi Dei magni ceteraque omnia quae vos alta voce clamabitis, — id magnum erat et ad consilii excusationem satis, quod caute, iubente Deo, is mitteret et ille mitteretur, et vitam miseram et laboriosam incolatus in beatam et immarcescibilem commutaturus erat. Hic autem, ad quem portum misit nos haec astutia? Quae utilitas deceptionis? Quis exitus salutaris? Quid dicet vir recte cogitans: maiorem esse honorem aut maius periculum huius minis-

[1] IER., IX 4. — [2] IOB., VII, 11.

terii ad quod ego, qui deceptus sum, missus sum? Non enim iter trium dierum gressus sum, nec ligna holocausti onustus, quae parvo labore, et parvo quiete corporali ut vires reficiantur indigent; sed viam quidem longam et inassuetam percurri scripta deferens, seu ut verius dicam onus scripturarum portans, *igne, lignis, cultro* gravius, siquidem haec in corpora tantum, illud vero etiam in animam vim habent. Ego itaque, o beati, dum considero sublimitatem operis et recogito qualis esse debet, qui ministrat, secundum exemplar legale et apostolicum, prae difficultate temporis, * dum perpendo quanta sit congregatio impugnatorum quae circumdat nos, et quantae sint contentiones foris, et quanti terrores intus, quanta mea debilitas et quam magna vis adhibita: timeo et tremo, et parum abest quin spiritum exhalarem. Quemadmodum enim timere ubi non est timendum, nec rationis est nec virilitatis, ita etiam confidere ubi non est confidendum, supremae superbiae est. Ne irascaris mihi quod, audacter sane, dicam tamen: non congruenter ad hanc rem excitata est sapientia vestra, nec accurate consideravit peccata mea, nec timuit cogitationes plurimorum qui fortasse pusillanimitatis beatitudinem vestram accusent, qui non profectum virtutis, sed *magnitudinem honoris* et lucrum vitae, episcopatum reputant, quique existiment hunc nobis mercedem perfectae subiectionis a vobis datum esse. Quomodo etiam non vos persuasit aetas iuvenilis, quae plerumque manifestat sensum hominis internum indigere sanatione spiritali potius quam possit aliis mederi, et indigere plasmatore sapienti potius quam in aliis novam Dei imaginem depingere possit. Sed non est mirandum si etiam tu aliquid humanum passus sis, si quidem Samuel magnus, qui omnia oculis propheticis praevidebat, — adeo ut etiam cognomen ab hac gratia habuerit, « Videns » enim appellabatur [1] — non videbat Saulem qui in proximo inter vasa latebat [2]. Quod factum optime demonstrat, opinor, non eximi debilitate humana vel eos qui ad apicem virtutis et gratiae * accesserunt. Habent enim aliquid quod eos humiles reddat inter dona divina et naturae debilitatem redarguat. Sed cum huc pervenerim in sermone, summa angustia

[1] I *Reg.*, IX, 9. — [2] I *Reg.*, X.

* p. 101.
* p. 102.

doloribus vulnerum meorum superadditur; nam utrum e pusillanimitate, an ex culpa hoc tolerat paupertas mea, nescio.

Deceret enim ut tantum passionibus meis vacarem, et considerarem multitudinem peccatorum meorum, et collegerem testimonia Veteris et Novi Testamenti quibus celsitudo sacerdotii et sacerdotum cognoscitur, et quales et quantae sint retributiones a Deo, eorum qui sancte egerunt in episcopatu, et quantae minae et accusationes et luctus et poenae eis qui male gregem paverunt, et quam acerbe demum in ignem aeternum proicientur, et plorarem in lamentationibus Ieremiae et in lacrimis die ac nocte. Dum considero quot sint in cursu vitae meae sordes, nescio quomodo mihi commissus sit sive principatus[1] sive ministerium sive alio nomine quis vocaverit. Id quidem ego non facio; convertor autem distractus in curas, et tremore alio cum angustia multa repletus sum, et partem maiorem doloris curis pro vobis qui vi me abduxistis tribuo, et amare lamentor, ne forte confundam sententiam eorum qui elegerunt et spem eorum qui crediderunt, et orationes et curas et labores, quibuscum per vos et venerabiles episcopos Orientis susceptus fui, vinctus in Christo, ut ligarer non catenis ferreis sed vinculis indissolubilibus spiritus.

Quid in his faciendum est, ei qui ita se habet et, quasi canibus fortibusque vitulis efferatis, cogitationibus circumdatur, nisi obsequium praestare — optime scio quod * vos *id* dicetis — iudiciis multis et inscrutabilibus Dei? Omnem igitur curam et sollicitudines in eum conicientes credamus quod is qui assumpsit David servum suum e grege ovium, cum puer minimus inter filios Iesse esset, qui piscatores indoctos et publicanum vocavit, qui infirmos et contemptos elegit, *et eis quae sunt sine exitu* dat exitum, ipse etiam nunc, orationibus sanctorum suorum ab aeterno persuasus, debilitatem meam assumpsit; induens virtutem ab alto, et pauperem malumque e terra suscitans, et e stercore erigens pauperem[2], creans in me cor mundum et in spiritu principali conscientiam meam[3], ut possim iniquios docere vias eius rectas et impios ad ipsum convertere, et, ut breviter dicam, me vocatione dignum faciat, in exaltationem vestram et in

[1] Vide correctiones. — [2] Cf. *Ps.* CXII, 6. — [3] Cf. *Ps.* L, 12. 14, 15.

* p. 103.

gloriam et laudem eius nominis sancti; virtus enim eius revera in infirmitate perficitur, ut dixit divus apostolus[1], ita ut plurima virtus ab ipso sit non autem e nobis.

Sed, o caput mihi divinum et sacerdotale, domicilium totius virtutis; o columna et fundamentum fidei christianae; o martyr 5 et confessor, et doctor totius orbis, condona haec, quae ex angustia *proferuntur;* et etiam hic typus gloriosus eris patribus, dum toleras quae a filiis impudenter aguntur, modo Deus prius honoretur et huius timor prior eorum honore censeatur; quomodo scilicet etiam iustificati sumus, adduximus tibi, ut 10 vides, vos et venerabiles episcopos Orientis; nam in timore, ut ita dicam, timorem instillavimus;[2] et sumpsimus ex angustia animae consolationem in oboedientia perfecta et spem iucundam; et principatum throni apostolici *Antiochiae, id * p. 104. est Theopolis, suscipientes, iam nostram quasi ex debito 15 facimus totam personam ecclesiae sanctae quae ei submissa est, et libellum adhaesionis mittimus, et dexteram scriptis petimus a beatitudine vestra, Dei repraesentativa, quod idem est ac dicere omnium patriarcharum orthodoxorum, ubicumque; quia Deus nunc gubernacula totius ecclesiae sanctae merito 20 vobis credidit ut possetis, per gratiam eius, locum etiam ceterorum implere.

Haec autem non quasi vos ignorans aut a vobis ignotus facio, si quidem eorum e quibus doctrinam apostolicam et paternam accepi, verbo et opere spectaculoque virtutum, agones labo- 25 resque quasi in speculo considero; sed potius legem ecclesiasticam canonice adimpleo, quae valde congruenter iubet eos qui ad sedes principales evehuntur ut mutuam caritatem per scripta demonstrent, et quae sententia eis sit circa spem nostram aperte coram omnibus manifestent, et sic consensum, 30 unionem et concordiam suam et eorum qui eis subiciuntur operentur, ut sit omni coetui credentium cor unum et anima una[3]; alterum enim alterius[4] significativum esse dicet qui bene sentit; eos autem qui, ut sacerdotes, mysteria[5] divina annunciant, decet ut in montem excelsum ascendant, et sine ullo timore 35

[1] II *Cor.*, XII, 9. — [2] Locus obscurus. — [3] Cf. *Act.*, IV, 32. — [4] Id est, ut conicio, mutua caritas et sana doctrina. Sententia mihi perobscura, si sanus est textus. — [5] Vide correctiones.

praedicationem evangelicam alta voce proclament. « Super montem enim excelsum, ait Isaias[1], ascende, qui evangelizas Ierusalem; exaltate, nolite timere.»

Itaque cum omni confidentia, fidem quae in nobis est coram 5 omnibus exponentes, dicimus: Unam tantum definitionem et symbolum et doctrinam fidei sanae habemus: illam quam *synodus congregationis beatae CCCXVIII patrum Nicaeae definivit: * p. 105. dum cum eis erat et in eis loquebatur Spiritus sanctus; quam etiam synodus CL venerabilium patrum confirmavit, qui con- 10 gregati sunt Constantinopoli propter Macedonium ceterosque pneumatomachos; quam etiam ⌜synodus episcoporum[2] qui Ephesi congregati sunt: quorum primores erant sanctae memoriae Celestinus Romae et Cyrillus Alexandriae, propter depositionem impii Nestorii et eius doctrinas iudaicas, confirmavit 15 et sanxit. Illud enim symbolum caeleste et vere divinum, quasi libra et norma spiritus est, nam declinationes a veritate et inaequalitatem utriusque partis redarguit; fidem vero sinceram et indefectibilem, sine qua homo Deo placere nequit, amico veritatis tradit. Hoc symbolum nos etiam exigui sequimur: 20 Credimus enim in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem; unam deitatem et substantiam et virtutem et operationem in tribus hypostasibus seu προσώποις glorificamus. Proprietates quidem distinguimus: vere enim Pater est pater, et Filius filius, et Spiritus sanctus spiritus 25 sanctus; unam autem tenemus deitatem in natura eadem, et in maiestate et in gloria, et in omnibus quae designant deitatem, unitatem in Trinitate et Trinitatem in unitate, quae mirabiliter habet et unitatem et distinctionem. « Distinguitur indistinctim, ut ita dicam, et divisibiliter unitur, sicut dixit Gre- 30 gorius theologus[3]. Unum enim in tribus deitas, et tres unum sunt in quibus deitas, aut, quod verius est dicendum, quae sunt ipsa deitas. » *Deus unaquaeque earum in seipsa spectata, * p. 106. Deus tres simul cognoscuntur: id quidem propter consubstantialitatem, illud vero propter singularem dignitatem. Et per 35 hoc, tum a confusione hypostasium Sabellii, tum ab insania adhuc peiori, *nempe* a divisione deitatis Arii, quasi a malis sibi mutuo repugnantibus facies nostras avertimus. Nam acci-

[1] Is., XL, 9. — [2] Ms. « episcopi ». — [3] Cf. supra, p. 50.

pimus etiam tractatum paullo ante a beatitudine vestra compositum ad confutationem eorum qui pluralitatem deorum et substantiarum et naturarum inducunt in una deitate et essentia et substantia indivisibili, et eorum qui dicunt totam divinitatem quae in Patre et Filio et Spiritu sancto videtur, id est Trinitatem sanctam, per unam e suis hypostasibus incarnatam esse. Confitemur autem, secundum doctrinam patrum, unum e Trinitate sancta et adoranda et consubstantiali, Deum Verbum — unigenitum filium Dei et Patris, per quem omnia facta sunt, lumen de lumine, exemplar perfectum et repraesentativum hypostasis paternae, — in novissimis temporibus, propter nos et propter salutem nostram descendisse e caelis et incarnatum esse e Spiritu sancto et e stricte vereque Deigenitrice, semper virgine Maria, et corpus sumpissse ab ipsa nobis omnino consubstantiale, passiones nostras imitans, et animatum anima rationali et intellectuali. Et illud sibi univit hypostatice, cum non tamen a sua divinitate immutabili mutatus est neque miscuit aut conflavit in se carnem quam sibi univit, sed sine ulla mutatione, aut commixtione, aut confusione, compositionem ineffabilem operatus est; ita ut sit e * duabus naturis, e divinate et humanitate, quae perfectae sunt in propria ratione, unus filius et Christus et Dominus, et una natura et hypostasis ipsius Verbi incarnata et perfecte inhumanata. Sicut enim perfectus est in divinitate, ita etiam in humanitate perfectus est, unus et idem. Nam nec insanitati Arii dat locum ut exardescat in divinitatem eius, neque deliramento Apollinarii consentit quod dignitatem et cognitionem nostram audet absque sanatione reliquere. Sed e duabus perfectis, divinitate inquam et humanitate, unum et eumdem gloriose univit, et distinctionem substantialem servavit earum quibus compositus est; non enim unum et idem est, secundum significationem naturalem, divinitas et humanitas; et omnem separationem et divisionem removet. Ratio enim unionis naturalis et hypostaticae mutationem quidem non admittit, separationem autem excludit quam asseclae Nestorii, cum iudaice duos filios et Christos et Dominos, et naturas et hypostases et personas et quidquid dividit compositum indivisibile et indissolubile excogitaverunt, tanquam radicem letiferam, posuerunt ante gregem Christi; et astute

* p. 107.

simul ac dolose, unum dicere Christum et Filium et Dominum ad deceptionem simplicium, consenserunt, sed illud « unum » non aliter acceperunt quam de una affectione et in singularitate ambarum naturarum.

Insuper, etiam duodecim Capitula illius qui inter sanctos est, Cyrilli, tanquam remedia utilia reputamus, et quodcunque aliud scriptum eius, tanquam orthodoxiae regulam amplectimur; nec non scriptum Henoticon bonae memoriae Zenonis, ad eversionem synodi chalcedonensis, recipimus, * quae praetextum sumens insanitatis Eutychis, studiose in ecclesias anthropolatriam nestorianam induxit, et in duabus naturis esse et profitendum Christum, ad eversionem fidei orthodoxae docuit, et naturas quidem adhaesive secundum insaniam nestorianam in numero dualitatis servavit, sed dilectione, filiationis inquam et potestatis, simpliciter univit. Sic igitur, eadem prava astutia, unum eumdem Christum et filium et Dominum et unigentum sine commixtione, et sine mutatione, et sine divisione, et sine separatione proclamavit; et ad explanationem accuratam suae opinionis, Tomum accepit Leonis, et columnam orthodoxiae hunc vocavit, qui aperte separat Christum in duas naturas seu hypostases post unionem, et ipsis formas et operationes, et voces, et proprietates, sine immunitione per blasphemiam dividit. Idcirco, et eos qui incredibiliter audent dicere se sicut in speculatione profiteri naturas seu hypostases quibus componitur Christus, et vocem hanc « in duabus », reprobamus; non solum quod sollicite eam adhibent Nestoriani, sed quod a nullo sanctorum patrum nostrorum alicubi invenimus dictam fuisse in mysterio Christi, sed tantum de rebus aut personis quae seorsim subsistunt; rursum, quod non dixit *synodus* unum hunc qui ex unione perfectus est, et reapse fuit, — si autem non, ostendant quaenam natura aut hypostasis tribuenda sit composito, — sed e contra, tum unionem hypostaticam, tum unam esse naturam Dei Verbi incarnatam dicendi opportunitatem respuit. Quomodo autem possibile est ut ea quibus constat unitas, et ille qui ex eis perficitur, sive speculative sive realiter in duabus naturis sint * et agnoscantur? Evidenter, pudore suffusi ob blasphemias Chalcedone prolatas haec dicunt. Nec eos fugit quod de facto huiusmodi locutionem synodus quae in

* p. 108.

* p. 109.

illa civitate congregata est — utinam non! — proposuit et ei adhaesit, et adhaesionem dilectionis unam personam appellavit, et hanc locutionem « ex duabus » quasi repugnantem reprobavit, quae inconfuse et indivisibiliter unum nobis demonstrat Emmanuelem, unum et eumdem consubstantialem Patri et Spiritui in divinitate et eumdem consubstantialem nobis hominibus in humanitate, eumdem qui fecit miracula et passus est et divinitus humanitusque locutus est; et unam esse eius operationem et scientiam, in quantum unus est, docet. Christus enim virtus Dei et sapientia Dei est, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae[1], etiam si oeconomice dixit se ignorare diem consummationis, cum ignorantiam nostram quasi vestimentum sibi imponeret, ut nobis suaderet ne quae cognitionem humanam superant quaereremus. Sed nec Iuliano halicarnassensi fautori illusionis[2] et phantasiae assentimur, qui eum qui, e terra et pulvere a Deo formatus et anima praeditus intellectuali per inspirationem, amore erga ipsum *creatoris* quae naturam superant lucratus est, impassibilem et immortalem natura, non gratia, dicit; ei autem accidisse corruptionem per trangressionem, praeter naturam, et morti, quae non in natura erat, propter consilium serpentis subditum esse; ac proinde is, qui propter nos perfecte homo factus est Verbum Deus, et quidem ab ipsis pannis peccatum respuit, corpus impassibile et immortale, simile corpori Adami ante transgressionem, sibi univit, ut fabulose blaterat; et nomine impassibilitatis * immortalitatisque doctrinam phantasiae insanae[3] coram omnibus proposuit, et eo quod fuit advocatus corporis dominici, negationem passionum eius salutarium commentus est. Quomodo enim revera pateretur impassibilis, aut mortem gustaret qui natura est immortalis? Aut experimentum corruptionis sumeret ab isto excogitatum, qui omni modo ab ipsamet in sinu conceptione, incorruptibilis est? Quomodo, si naturam omnimode impassibilem et immortalem et incorruptibilem habuit Adamus ante transgressionem, cum haud esset capax passionum et mortis, possibile est dicamus ab ipsa unione tale fuisse corpus animatum et intellectu

* p. 110.

[1] *Col.*, II, 3. — [2] Vide correctiones. — [3] Vox e graeco μανία deducta, ut videtur.

praeditum Christi Dei, cum apostoli et evangelistae et omnes sancti doctores mysteriorum ecclesiae aperte clamant eum esurivisse, et sitivisse et defatigatum esse, et lacrimavisse, afflictum et tristem et turbatum fuisse, rursum autem et se submisisse sputis et ictibus, denique mortem pro nobis per crucem subiisse? Manifesto autem voluntarie ipsum Verbum carni suae animatae permittebat ut pateretur passiones proprias, naturales et irreprehensibiles. Itaque, aut non corpus impassibile et immortale, ut erat illud Adami ante transgressionem, secundum eorum insaniam, sumpsit Christus; aut si huiusmodi *corpus* sumpsit, non revera passiones naturales et irreprehensibiles sustinuit; aut si revera naturaliter haec toleravit et mortem nostram sustinuit, postquam peccatum quoddam praecessit, sicut Adamo, huiusmodi mortem sustinuit. Sed blasphemia in caput eorum revertatur qui ita impie delirant. « Peccatum enim non fecit neque dolus inventus est in ore eius[1] ». Itaque et dicebat[2]: « Veniet princeps huius mundi et in me non inveniet quidquam ». Quemadmodum igitur verba apostolica patrum nostrorum theophororum tradunt, e * semine Abrahae sumpsit Verbum Deus, et factum est e radice Iesse in carne, et in similitudine nostra participavit carni et sanguini, et corpus e sancta et gloriosa coniugiique experte Maria, quae ab eis originem habet, consubstantiale nobis et quod pateretur sicut nos, anima et mente praeditum, univit sibi hypostatice. Et ab ipsa unione, dum est sanctus et vivificator, et sanator omnium infirmitatum nostrarum, hoc passibile et mortale, qua ratione tantum cognoscitur corruptibilitas, toto tempore dispensationis servavit; quia dum est impassibilis et immortalis, eo quod Deus de Deo sit, ortus est in sua carne quae patiendi et moriendi capax est, passiones irreprehensibiles et crucem voluntarie et vere subivit, et legaliter ac naturaliter pro altera iustificatione nostra decertavit; impetus quidem passionum usque ad passibilem surgebat, retundebatur autem impassibilitate divinitatis. Post autem resurrectionem, modo Deo congruente impassibile et immortale, et exinde etiam incorruptibile, fecit illud; nam corruptio prorsus in eo iam non invenitur; nec credendum est eum indigere

* p. 111.

[1] Cf. I PETR., II, 22. — [2] IOH., XIV, 30.

cibo consueto sicut antea; quia vivit denuo in incorruptibilitatem, postquam victoriam de passionibus et morte naturae nostrae lucratus est Christus. Per resurrectionem itaque e mortuis mutata est in immortalitatem natura humana. Et initium habuit huiusmodi res primum in Christo. Primum enim ipse corpus suum suscitavit in incorruptibilitatem, et primogenitus e mortuis et primitiae dormientium sermone divino[1] congruenter nuncupatur. Non igitur propter necessitatem post resurrectionem comedit aut bibit Christus: non enim amplius his indigebat corpus; sed ut per haec quae ad resurrectionem pertinebant * confirmaret et simul idem esse corpus quod passum erat, et in contemptu ac infirmitate seminatum, sicut dixit divinus apostolus[1], surrexit quidem die tertia in virtute et gloria, et iam non est in eo infirmitas humana, etiam si, discipulorum gratia, comedit et bibit, et stigmata ostendebat vulnerum ferro inflictorum; ne unam quidem rationem dans exiguitati fidei nostrae, nec nunc nec in adventu eius secundo terribili, in quo venturus est iudicare orbem in iustitia et reddere unicuique secundum opera eius.

* p. 112.

Haec est confessio sine errore et sine adulteratione, ut paucis dicamus, doctrinarum apostolicarum et paternarum. In ea baptizati sumus et educati sumus, et in ea quasi in saxo et fundamento permanentes, anathematizamus principes et duces impios doctrinarum haud probatarum et impurarum, dico autem, quasi per enumerationem, Valentinum, et Basilidem, et Marcionem, et Manem persam, et Apollinarium, et Eutychen, et Iulianum halicarnassensem fervidum excitatorem harum doctrinarum; et cum isto eos qui, ab ipsa unione cum Deo Verbo, impassibile et immortale et omnimodo incorruptibile fuisse corpus e nobis assumptum fabulose dixerunt. Et non tantum hos, sed et Arium, et Eunomium, et Macedonium, et Sabellium libycum, et omnes qui theologiam aeternae Trinitatis probris affecisse deprehensi sunt. Anathematizamus pariter eos qui in contrariam impietatem devenerunt: Artemonem, dico, et Paulum samosatenum, et Photinum, et etiam Diodorum et Theodorum et Nestorium et Andream, et Hibam,

[1] Cf. *Col.*, I, 18; I *Cor.*, XV, 20, 43.

et Theodoretum, et Eutherium tyanensem, et Alexandrum mabbugensem, * et Iraeneum bigamum, et Cyrum, et Iulianum aegeatem, et Barsaumam persam, cum eius impuris canonibus, et omnes qui vituperarunt aut impugnarunt scripto aut sine scripto duodecim Capitula patris nostri et doctoris oecumenici, qui cum sanctis est, Cyrilli, aut scriptum eius aliud, sive reprehensionibus sive sermone contrario. Et cum his omnibus anathematizamus synodum chalcedonensem et Tomum Leonis, et eos qui dixerunt Christum vere ignoravisse diem consummationis aut quidquam aliud ex his quae sunt, fuerunt, aut futura sunt; et quamcumque aliam haeresim ab inimicis veritatis enunciatam, et etiam eos qui ausi sunt patrem nostrum beatum Severum, aut aliquod ex eius theophoris scriptis anathematizare.

* p. 113.

Super has apostolicas doctrinas patrum nostrorum sanctorum dexteram damus vobis communionis: ego, minimus, et omnes episcopi orthodoxi Orientis, qui strenua sanctitatis vestrae certamina tempore persecutionum, imitati sunt, et iisdem prorsus laboribus refulgent, cum elegerint vobiscum, immo cum populo Dei, in angustiis versari, potius quam delicias fugacis temporis peccato acquirere. Decet itaque vos, beatos, retributione scriptorum vestrorum nos laetificare, et sine cessatione orare pro me peccatore, ut sicut doctrina, ita, cum sepes mihi factae sint preces vestrae Deo gratae, liberari possim ab omni inquinamento carnis et spiritus, vereque ad Deum accedere et pactum servare, eique offere gregem mihi commissum, hostiam viventem et acceptabilem; si tamen ego sim qui offeram et non potius vos, * quos rectores habui et habebo, o pastores pastorum et duces ducum et principes totius felicis operationis.

* p. 114.

Saluta fraternitatem quae apud te *est*; quae apud nos, te salutat in Domino.

Exemplar subscriptionis: Valeas in Domino semper, et memento mei, frater sanctissime.

Explicit epistula synodica sancti et beati Pauli patriarchae Antiochiae civitatis.

Exemplar epistulae synodicae venerabilis archiepiscopi Alexandriae Mar Theodosii ad beatum patriarcham Antiochiae Mar Paulum.

Venerabilissimo et sanctissimo fratri et collegae, archiepis-

copo et patriarchae, Mar Paulo, Theodosius: Gaude in Domino nostro.

Cum novissem antea te sine dolo constitutum fuisse ut sis princeps eorum qui vitam monasticam Alexandriae agunt, et instituti, viae inquam quae ad caelum eos qui in se laborem itineris susceperunt ducit, verbo sacro Apostoli[1] paulisper mutato, te salutavi dicens: « Paule caput monasterii non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem ». Sed fortasse etiam tunc non decebat mutare quidquam in verbis Apostoli, qui meruit gratiam prophetiae et * praevidere potuit (* p. 115.) quasi praeteritum quod erat futurum. Cum autem valde remotus sim ab huiusmodi gratia, ignoravi quod de te divina gratia praedefinitum erat: et verbum apostoli tunc mutavi. Nunc vero nimis tarde ipsa scripta apostolica clamo, dum incipio epistulam, et dico: « Paule apostole Iesu Christi, non ex hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem »; et ipsi Christo gratias, qui te roborat « ut portes nomen eius coram populis regibusque et coram filiis Israel »[2], utque pascas gregem tibi commissum « in loco herbae et ad aquas tranquillas »[3]; ubi quidem nihil zizaniorum haereticorum germinavit, neque radix letifera et homicida, quae removet a fide sana et indefectibili, sed verba tantum et doctrina divinitus inspirata qua nutriuntur eius discipuli cibo indeficiente.

Nos quidem, ecce iam olim sufficienter sumpsimus probationem sanctitatis tuae in ceteris, sed maxime in fide orthodoxa quae firmata et indefectibilis est, et in tua agendi ratione erga haereses quae germinarunt confidimus; ita ut saepius, etiam ante legitimam ordinationem, te dignum esse qui sederes super thronum pontificatus, iudicavimus et optimum esse censebatur omnem sollicitudinem adhiberi ut revera ordinatio vestra fiat. Iniustitia enim est, immo e rebus summe reprobandis, civitatem supra montem positam abscondi et lucernam lucidissime accensam sub modio occultari[4]. Non autem minorem tui probationem sument ceteri, cum nunc Spiritus sanctus unxerit te pastorem et summum sacerdotem, et inde factus sis doctor * fidei rectae, (* p. 116.)

[1] Cf. *Gal.*, I, 1. — [2] Cf. *Act.*, IX, 15. — [3] *Ps.* XXII, 2. (LXX). — [4] Cf. MATTH., V, 14, 15.

et ex omni parte lucidae, in Christum; nunc, cum etiam donum supernum illuminaverit te spiritusque sapientiae et timoris. Idcirco, si possibile esset, omnes qui in nomine excelso et gloriosissimo Christi gloriantur, deceret properare et uno concentu unanimique voce clamare: « Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea »[1]; quae enim laetitia et exultatio maior esse possit eis qui in Christo spem suam reposuerunt, quam in praesenti tempore videre ecclesiam sua pulchritudine ornari et decorari. Ornamentum enim ecclesiae est eius caput; eius autem caput est Christus, cuius typum gerit summus sacerdos.

Ego vero, o mihi dilecte et princeps sacerdotalis, cum acciperem scriptum synodicon Perfectionis tuae, per Cononem et Eunomium, venerabiles episcopos, fratres et collegas nostros, coram omnibus manifestavi conscientiam meam. Iam non poteram delectationem continere, sed me invaserat desiderium vehemens te videndi modo indutum stola summi pontificatus, et amplectandi filium meum dilectum; quem ego quidem in spiritu genui, Dominus autem crescere fecit ad honorem et gloriam nominis eius sancti; et ea passus sum quae patriarcha Iacobus cum e nuncio audiret filium suum vivere et regnare, et vehementior fiebat in eo amor naturalis ut non cupiret Iosephum simpliciter videre, sed et stolam ei impositam byssinam et annulum et torquem; ita etiam ego divino desiderio detinebar: sed non exitus mihi obvenit, et in fine nihil aliud mihi faciendum erat nisi Deum omnipotentem deprecari ut ante exitum ex hoc mundo merear te videre * libere sacrificantem sacrificium purum et incruentum in pace ecclesiarum eius sanctarum. (* p. 117.)

Clamas adversus nos fraudem et deceptionem, o anima mihi pretiosa et philothea, et magis intolerabilia dicis te passum esse a nobis, cum deceptus fueris, quam olim Isaacus a patre eius Abrahamo, beato et sapiente in Domino, qui per fidem iustificatus est; et longam calumniae accusationem adversus nos composuisti; et non solum dicis quod omnis amicus fraudulenter incedit, nec solum quod frater supplantatione fratrem suum supplantat, sed iam patres delinquunt in filios, et senectus decipit inventutem, et princeps civitatis religiosae morem calum-

[1] *Ps.* CXVII, 24.

niae variegat; et quidem patres, senectutem, principem civitatis religiosae nos appellas. Sed primum quidem non decet, inquam, id astutiam absolute vocari, sed sapientiam et negocium praestans omni simplicitate. At vero, etiam si fortasse decepimus tuam Pietatem ad utilitatem et aedificationem ecclesiae, id nihil grave est, sed potius quid valde laudabile. Testis est ipse sapiens et divinae excellentiae vir Abrahamus. Si enim unigenitum et dilectum non cunctatus est utiliter decipere; sed summa sollicitudine hostiam Deo eum obtulit, cum solum sibi et puero per huiusmodi oblationem profuturus erat, quomodo non indecens esset nobis caritatis amicis, seu ut verius loquamur, nostri inimicis et filiorum inimicis, et socordibus in amore divino, si non quocumque modo promoveremus aedificationem ecclesiae, te cum fiducia offerentes Christo salvatori nostro, hostiam viventem et administratorem et pastorem, et doctorem? Non est igitur nobis dolendum eo quod afflictus fueris, sed potius gaudendum. Si * ego sum qui feci et te afflixi, opportune cum Paulo dicam [1]: « Quis est qui me laetificet, nisi qui a me contristatus est?» Non adeo abiecti simus ut aut nos aut filios Deo pretiosiores habeamus. Si enim, quod gratum erat et humana ratione de te cogitaveram, ut sub throno apostolico sancti evangelistae Marci esses curavissem, potius quam exornares religiosum clerum illius loci, fuisses episcopus alicuius ex episcopalibus sedibus quae ab eo pendent: id omnibus notum est, et maxime tuae pietati quae scit qualiter cum vellem facere non potui, cum Deus, ut apparet, circa te quid maius iam antea disposuerat. Bono animo nobiscum esto, quasi vir non confusurus sententiam eorum qui elegerunt nec inanes ostensurus orationes nec labores nec sollicitudines sanctorum episcoporum Orientis; etiam si tibi gratum est talia loqui propter mores humiles et consuetam benignitatem, et paupertatem spiritu quae Christo amabilis est [2]. Desine igitur indignari et iuventutem acerbe accusare, o cane, senex sapiens. Sin autem: vituperat te Timotheus, cui cum adhuc iuvenis esset munus praedicandi verbum commissum fuit. Eius advocatus fit Paulus dum scribit [3]: « Nemo contemnat iuven-

* p. 118.

[1] II *Cor.*, II, 2. — [2] MATTH., V, 3. — [3] I *Tim.*, IV, 12.

tutem tuam ». Non enim ad tempora mensurat Deus sapientiam; neque ad multiplicitatem dierum pendens virtutem communicat gratiam, sed in omni anima Deum diligente habitat sive corpori iuniori alligata sive seniori. « Si quis enim me diligit, dixit Christus, in evangeliis [1], verbum meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum * veniemus et in eo mansionem faciemus.» Confirmat hoc verbum et divinus Ieremias, qui in ipsas tuas cogitationes incidit, et donum prophetiae reformidabat, dicebatque ad Deum [2]: « Domine mi, qui es Dominus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum ». Et a Domino, qui omnia sapienter scit discernere, statim audivit: « Noli dicere: Puer ego sum; quia ad omnes ad quos mittam te ibis, et omnia quae praecepero tibi loqueris. Noli timere a facie eorum, quia ego tecum sum ut liberem te, dicit Dominus.» Qui enim habet Deum adiutorem in his quae cogitat, loquitur et operatur: hic vir perfectus est et ad adultam aetatem pervenit. Sanctitas tua, annis non paucis, tempus a canonibus divinis statutum superavit, et nobiscum institutus es in eo Spiritu qui te docuit habere et loqui fidem rectam et apostolicam, in qua exultamus et tecum exultabimus, sicut dixit apostolus divinus [3]. Et nos etiam in eadem fide permanentes dexteram ad te tendimus et adhaesionem communionemque tecum inseparabilem atque indissolubilem promittimus. Hoc quidem propter leges ecclesiasticas et amorem quo specialiter prosequor vos tanquam filios spiritales; illud vero debitum tempore suo retribuo, quod nobis imposuit servus fidelis oeconomus mysteriorum Christi, Severus magnus, cum divinis iudiciis episcopatus ecclesiae apostolicae Alexandriae nobis creditus est. Valde enim decore et congruenter, fraternitas tua libram et pondus Spiritus sancti definitionem patrum sanctorum Nicaenorum constituit, cui in hac civitate magna Constantinopoli * congregrati centum et quinquaginta episcopi, adversus Macedonium pneumatomachum, subscripserunt; et etiam synodus sancta Ephesina, cuius primores erant venerabiles Celestinus et Cyrillus, qui Nestorium impium eiecerunt et eius blasphemias patefecerunt. Qui enim ab initio animas patrum CCCXVIII inspiravit, eamdem confessionem suggessit eis qui postea congregati sunt in vindicationem orthodoxiae eius.

* p. 119.

* p. 120.

[1] IOH., XIV, 23. — [2] IER., I, 6-8. — [3] Cf. *Philip.*, I, 18.

Et hac doctrina, quae e caelo descendit, quicumque pugnat pro nomine Dei et fide in eum indefectibili, armatus est.

Perseveremus igitur in ea usque ad finem. Nunquam enim commoveri potest qui super hoc fundamentum stat, sicut etiam tu non commoveberis in aeternum, quia credis in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, unam naturam et essentiam, et divinitatem, et virtutem, et operationem, et gloriam et dominationem ceteraque omnia quae significativa sunt unici principii divinitatis; hypostases autem tres seu πρόσωπα. Deus unaquaeque in se ipsa consideratur: Deus tres illae simul cognoscuntur; illud autem propter naturae identitatem, hoc vero propter principii unitatem. Trinitas enim in unitate et unitas in Trinitate quod a nobis adoratur. Non divisionem arianam aut confusionem sabellianam admittimus; sed pariter avertimus faciem nostram ab eis qui pluralitatem deorum, aut essentiarum, aut naturarum numero introducunt, et ab eis qui totam divinitatem, quae in Patre et in Filio et in Spiritu sancto videtur, id est Trinitatem sanctam, dicunt per unam ex hypostasibus suis * incarnatam esse, quemadmodum etiam in sermone a nobis nunc exposito explicavimus, doctrinis apostolicis sanctorum patrum nostrorum adhaerentes.

* p. 121.

Confitemur igitur ipsum Deum Verbum, unum e Trinitate, qui ab aeterno a Patre genitus est, coeternus cum Deo Patre et Spiritu sancto, propter nos et propter salutem nostram novissimis diebus incarnatum esse e Spiritu sancto et e stricte et vere Deigenitrice semperque virgine Maria, in carne animata anima rationali et intellectuali, et eum esse nobis consubstantialem similemque in passionibus et esse revera hominem nobis assimilatum in omnibus praeter peccatum, cum praeterea mansit et est quod erat, Deus nempe, cum neque variatio neque mutatio appareat in eo; non est enim in eo diversitas aut umbra mutationis, neque caro quam sibi univit hypostatice commixtionem aut confusionem naturalem passa est; sed in proprietate naturali unumquodque quidem perseverat et cognoscitur post unionem ineffabilem et indissolubilem. Unio enim hypostatica non discrimen naturae significativum eorum quae congregantur adulteravit, nec locum reliquit divisioni aut separationi; sed e duobus unum et indivisibilem cons-

tituit nobis Emmanuelem, et una est eius natura seu hypostasis composita; quod idem est ac si dicamus ipsam naturam Dei Verbi et eius hypostasim incarnatam esse et perfecte inhumanatam; unus enim et idem operator erat et rerum Deo congruentium et humanarum; verba divina et humana loquebatur; eiusdem sunt miracula et passiones quas propter nos voluntarie subivit in carne sua anima praedita et passionis capaci; per quam etiam imperium mortis * solvit et nos ab amara tyrannide adversarii liberavit; et anthropolatriam nestorianam redarguit, necnon errorem eorum qui blaterant corpus natura sua impassibile et immortale passum esse. Non enim corpus hominis vulgaris mortem et corruptionem solvere, nec corpus natura passionum et mortis incapax experientiam mortis sumere poterat. Et iam invenitur vana fides nostra, si non vere mortuus est pro nobis Christus Deus, nec passus est in carne passiones naturales et voluntarias irreprehensibilesque, nec vere surrexit e mortuis nosque secum suscitabit, propter quos incarnatus est. Si enim non verae sunt passiones et mors per crucem: nec vera est resurrectio, sed somnium et adumbratio e qua exhalatur turpitudo foetidi odoris manichaeismi.

* p. 122.

Laudamus autem sanctitatem tuam quod post confessionem XII Capitulorum patris nostri, qui cum sanctis *est,* Cyrilli, et receptionem omnium eius verborum divinitus effatorum, etiam Henoticon religiosissimi Zenonis commemoraverit, et illud ad eversionem synodi Chalcedonensis se recipere aperte dixerit. Haec enim synodus omnino perfida et exsecranda, cum aliis suis blasphemiis, in duabus naturis agnoscendum esse Christum Dominum illegitime docuit et, praeter canones optime vigentes, definitionem aliam fidei stabilivit, et Tomum Leonis columnam orthodoxiae appellavit: qui manifesto doctrinas impias Nestorii confirmavit duasque naturas et hypostases, necnon et formas et operationes, et proprietates; et quemquem huiusmodi blasphemiae adhaerentem laudavit, et merito sub anathema sanctorum patrum seipsam et omnes sibi adhaerentes * proiecit. Et in condemnationem autem eorum qui contendunt Dominum nostrum Iesum Christum, sapientiam et virtutem Patris, ignorantia laboravisse, sapienter commota est sanctitas tua. Non enim in humanitate vir recte sapiens est qui cogitet eum igno-

* p. 123.

ravisse diem consummationis aut quid aliud ex eis quae sunt, etiam si propter oeconomiam ignorantiam nostram induit. Quomodo enim caro illa, quae ab ipsa unione, id est a formatione in utero sanctae virginis, sanctissima et vivificatrix, anima et mente praedita, et omni operatione Deo congruenti ditata est, 5 ignorare potuerit quidquid ex eis quae sunt aut fuerunt aut futura sunt?

Et quia lex ecclesiastica est non modo doctrinas rectas cogitemus, recipiamus et doceamus, sed etiam anathemate plectamus eos qui contrarium proclamant, idcirco anathematizo aberra- 10 tiones a veritate ab utraque parte prolatas, hominesque impios et deceptores qui earum fuerunt patroni: Valentinum dico, et Marcionem, et Manem, et Arium, et Macedonium, et Eunomium, et Apollinarium, et Eutychen; rursum, et eos qui dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum ignoravisse diem ulti- 15 mum et horam huius mundi praesentis, et qui eum ab ipsa unione cum Verbo fuisse impassibilem et immortalem in carne a nobis assumpta et hypostatice ei unita blaterarunt et impie docuerunt, et inde apparentiam et phantasiam in altum mysterium inhumanationis immutabilis et verae Domini inducunt. 20 Rursum autem, anathematizamus Paulum samosatenum et Diodorum, et Theodorum, et Theodoretum, et Andream, et Hibam, et Eutherium, et Alexandrum mabbugensem, et Iraeneum bigamum, et eos qui ausi sunt loqui adversus XII * Capitula sancti (* p. 124.) Cyrilli, cum eorum refutationibus profanis et minime sanctis; 25 et Barṣaumam persam, cum eius impuris canonibus; et cum hisce omnibus Nestorium et synodum chalcedonensem et Tomum Leonis, et omnes qui dixerunt aut dicunt duas naturas in Christo post unionem ineffabilem, et non confitentur unum esse πρόσωπον et unam hypostasim et naturam Dei Verbi incar- 30 natam.

In hac igitur accurata rectitudine doctrinarum apostolicarum, quae ab antiquo a sanctis patribus nobis tradita est, cui etiam consonus est liber canonicus fraternitatis vestrae, qui mihi datus est, communionem vobiscum ego et omnes ecclesiae quae 35 sub throno apostolico et evangelico Alexandrinorum sunt, instituimus: in qua etiam perseverabimus usque ad ultimum halitum.

Tu vero in omnibus vigilans esto, mala sustine, opus perfice evangelistae, ministerium tuum imple[1]; id enim faciens, et teipsum salvabis et eos qui te audient, ad Timotheum scribens magnus Apostolus dicebat[2]. Decet enim ut, cum ab ipsius verbis 5 divinitus inspiratis inceperimus hanc epistulam synodicam, iis etiam finiamus. Saluta fraternitatem quae apud te est; quae nobiscum est te salutat in Domino.

Exemplar subscriptionis: « Valeas in Domino perfecte, et recordare mei, frater sanctissime.»

10 Explicit epistula synodica beati Mar Theodosii Alexandriae, ad venerabilem et beatum Mar Paulum patriarcham Antiochiae.

* Exemplar epistulae a venerabili Mar Iacobo missae, (* p. 125.) quae per venerabiles Cononem et Eunomium tradita est sancto papae Mar Theodosio Alexandriae.

15 Domino nostro sanctissimo et beato, doctori oecumenico, Mar papae Theodosio: Eusebius archimandrita monasterii beati Mar Bassi, Barḥabšabba archimandrita Monasterii magni, Zenobius archimandrita Mār Bizi, ceterique archimandritae.

Ecclesiam domum esse Dei vivi, sapientissimus Paulus ad 20 Timotheum scribens[3] dicebat; eamdem autem, ad Corinthios scribens, et corpus Christi appellavit[4]. In hac autem domo ordinem trabium et tecti occupant pontifices, et decet eos, eorum qui sub ipsorum manu sunt probatamque fidem tenent curam agere, et ea quae ad aedificationem domus, id est ecclesiae 25 Dei vivi, spectant, meditari et perficere. Idcirco, et vestrum caput sanctum et patriarchale, cui cuncta aedificatio domus credita est a Deo magno et salvatore nostro Iesu Christo, quae ad aedificationem eius pertinent facere et meditari, cura et gratia superna, non desinit. Itaque nunc, ab ipso Deo impul- 30 sum, effecit et praecepit ut legitime ac canonice transiret haereditas viri sanctae memoriae, patriarchae Sergii, civitatis magnae Antiochenorum, ad sanctum Paulum, omni virtute ornatum. Et quia zelus quidem est in vera libertate, zelus autem etiam in laboribus et sudoribus, quibus Dominus gavisus est: 35 ut etiam istis dignitas firmaretur, *accidit* rectissime atque merito ut is patriarcha in Oriente institueretur, per auxilium et mandatum * vestrum, qui labores antea exantlatus est per (* p. 126.)

[1] II *Tim.*, IV, 5. — [2] I *Tim.*, IV, 16. — [3] Cf. I *Tim.*, III, 15. — [4] Cf. I *Cor.*, XII, 27.

opera quae incumbunt muneri patriarchali. Est enim revera mansuetus, vigilans, honestus, iustus, fortis, sapiens, repletus omni eruditione doctrinali. Re enim vera, cum alumnus sit beatitudinis vestrae, non pedibus non lotis, ut dici solet, in thronum apostolicum adscendit, sed cum prius mundatus fuerit per labores sapientiae, et pallio philosophiae virtutum decoratus, tunica summi sacerdotii metaphorice indutus est. Credimus autem quod, quemadmodum a sinu segregatus est Paulus in praedicationem evangelii, a Deo qui scrutatur cor et renes, ita et Paulus novus qui vestigia doctrinarum Apostoli sequitur, praenotus a Deo est qui sederet in throno apostolico, ad aedificationem et custodiam totius populi fidelis et ad glorificationem eius qui *eum* vocavit.

Cum autem nunciaretur nobis haec res magna et omnis gaudii exultationisque plena, a sancto patre nostro et archiepiscopo Iacobo, qui in omnibus imitator est certaminum magni Iacobi sancti[1] et archiepiscopi et martyris, fratrisque Domini nostri Iesu Christi, tum festivitatem spiritalem eloquentissimi Isaiae nostram fecimus et cum laetitia spiritali celebravimus dicentes: « Laudate Dominum, invocate nomen eius, annunciate in populis gloriosa eius, mementote quod exaltatum est nomen eius.[2] » Exaltati vere per mysterium quod nobis revelatum est, festum celebravimus in sublimitate et exaltatione, « quia visitavit et fecit Dominus salutem populo suo, et erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui,[3] » per auxilium *et curam summi pontificatus vestri. Cura autem huiusmodi, apostolicis certaminibus sollicitudinis vestrae sanctae congruebat. Impossibile erat ut aliter res Orientis gererentur et finem optimum obtinerent, quam celsitudo vestra boni cupida iudicavit. Universa enim ecclesia Dei in luctis et certaminibus eius decoratur et gloriatur: quae non quinquies in stadio martyrii dimicavit, quemadmodum theophorus patriarcha Severus de Athanasio magno canit in hymno eius sacro, sed multis vicibus ad instar Pauli apostoli qui sibi complacuit in infirmitatibus, in angustiis, in persecutionibus, in necessitatibus aliis,[4] et multitudinem coronarum *ipsa* cinxit.

*p. 127.

[1] Vide notam in textu. — [2] Is., XII, 4. — [3] Luc., I, 68-69. — [4] Cf. II Cor., VI, 4.

Etiam ut in longum spatium protrahatur vita sancta beatitudinis vestrae rogamus Deum, ad pacem ecclesiae sanctae catholicae et apostolicae; et ante omnia, rogamus nos minimi, ut obtineatis nobis filiis vestris gratiam, orantes pro nobis sine cessatione, in orationibus vestris sanctis, die nocteque. Est enim nobis decus magnum et gaudium indeficiens, quod circumdati et conservati simus orationibus vestris sanctis.

Subscriptiones:

Eusebius, presbyter et archimandrita beati Mar Bassi, subscripsi.

Zenobius, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Bizi, subscripsi.

Barḥabšabba, presbyter et archimandrita Monasterii magni, subscripsi.

Andreas, presbyter et archimandrita monasterii beati Manassis, subscripsi.

*Phocas, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Eusebii, subscripsi.

*p. 128.

Iohannes, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Romani, subscripsi.

Explicit.

EPISTULA QUAE SCRIPTA EST AD PATRIARCHAM MAR PAULUM A SUPERIORIBUS COENOBIORUM ORIENTIS.

Domino nostro sanctissimo et Deum repraesentanti, Paulo archiepiscopo: Eusebius, archimandrita monasterii beati Mar Bassi; Barḥabšabba, archimandrita Monasterii magni; Zenobius, archimandrita monasterii beati Mar Bīzi; ceterique.

Corda firma eligit Deus et temporibus difficilioribus ea servat, sicut aurum igne probatum. Scriptum est enim in proverbio sancto[1]: « Quemadmodum probatur argentum et aurum in fornace, ita electae mentes a Domino ». Aliquid tale circa beatitudinem vestram a Deo dispositum fuisse videmus, « qui omnia dirigit », quemadmodum dixit Salomon cum oraret in dedicatione templi[2]. In hisce momentis difficilibus, cum magno subsidio indigeret tempus, eam quasi ducem pugnae et turrim invincibilem, oculis animae sancti papae nostri ostendit, sicut *ostendit* Elisaeum Eliae prophetae magno, ut eum meta-

[1] *Prov.*, XVII, 3. — [2] Lapsus memoriae videtur.

phorice ungeret; et tota virtute sua manum vestram apprehenderunt pontifices[1] Dei et per auxilium Spiritus sancti patriarcham eum[2] instituerunt et haeredem virorum magnorum atque theologorum * et patriarcharum Severi et Sergii; et merito legitimeque paternitatem vestram electam et zelo fidei immaculatae incensam, principem pastorum et salvatorem magnum Israeli spiritali instituerunt. Nos autem, consilii participes cum simus, et eiusdem omnino mentis ac patres nostri, qui legitime, apostolice et canonice vos instituerunt, oramus ut in munere summi sacerdotii, augendo et multiplicando gregem Christi, per disciplinam vestram sapientem et eruditam, sicut doctores qui vos antecesserunt, honoratissimi et gloriosissimi Severus et Sergius, resplendere faceretis quod verbum Dei sit velox et laudabile. Scimus enim vos revera paratos esse[3], pro grege quem accepistis e manu Domini, obviam ire angustiis et ponere pro eo animam vestram, ad instar magni Pastoris qui propter nos homo factus est, et « dedit semetipsum redemptionem pro multis.[4]» Cum enim laboribus paternis et strenuis iam ante purificastis animam, Moisen et Davidem cum imitati estis mansuetudine: ad hanc sublimitatem merito elevati estis. In his igitur, quis non saltaret spiritaliter? quis sanctum papam nostrum et patriarcham totius orbis et doctorem Theodosium non multis laudibus celebraret, propter tantam sollicitudinem strenue adhibitam pro legibus ecclesiasticis? Quis non gauderet et delectaretur cum toto Oriente, qui talem patriarcham meruit, et non diceret effatum propheticum[5]: «Nunc pascet eos Dominus sicut oves in loco spatioso, et adducet eos in locum pascuae, et nutriet eos ad aquas quietis.»

Cum enim principium omnis haeresis et amaritudinem e radicibus eius exstirpaverit, merito opinamur etiam unionem ecclesiarum concessurum esse Deum datorem bonorum, * in institutione vestra. Honorabit enim omnimode certamina vestra, quae pro fide vera certaturi estis, et dissipabit procellam chalcedonismi tenebrosam. Et qui mundus est, lumen fidei orthodoxae ubique sub caelo refulgere faciet, in tempora multa pacis; et erunt omnes unus grex et unus pastor.

[1] Vide correct. — [2] Sic ms.; exspectes « eam », i. e. « Beatitudinem vestram ». — [3] Plur. maiestatis. — [4] I *Tim.*, II, 6. — [5] Cf. *Ps.* XXII, 1, 2.

Rogamus autem, domine, ut pro nobis, filiis vestris, deprecationes sine cessatione faciatis, ut Deus philanthropus per orationes vestras nos liberet ab omni calumnia inimici et daemoniorum malorum et hominum dolosorum, et eius delectatione frui digni simus. Omnes qui nobiscum in Christo agunt vestigia sanctitatis vestrae venerantur; et totum coetum vestrum in Domino, fervide salutamus.

Exemplar subscriptionum:

Eusebius, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Bassi, subscripsi.

Barḥabšabba, presbyter et archimandrita Monasterii magni, subscripsi.

Zenobius, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Bizi, subscripsi.

Andreas, presbyter et archimandrita monasterii beati Manassis, subscripsi.

Iohannes, gratia Dei presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Romani, subscripsi.

Explicit.

* EXEMPLAR EPISTULAE MISSAE A VENERABILI MAR IAÇOBO, QUAE TRADITA EST PER VENERABILEM EUNOMIUM SANCTO PAPAE THEODOSIO.

Domino nostro sancto, beato et honorato patri spiritali, archiepiscopo et patriarchae oecumenico Mar Theodosio: archimandritae et presbyteri, diaconi ceterique monachi ex Beth Aphthonii.

Nunc opportunum est tempus ad beatitudinem vestram clamemus quod olim ad Eliam Thesbiten clamabant Israelitae: « Pater mi, pater mi, currus Israelis et auriga eius[1]»; quia zelo divino haeresim diophysitarum patefacientes, velut propheta insaniam idolorum, vere imaginem huius magni viri omnino servatis. Ne enim extinguerentur lucernae Israelis, et *populus* post discessum sanctum vestrum, fiat quasi oves quae non habent pastorem[2], tanquam pallium spiritum qui in vobis est in Elisaeum misistis: quem certum habemus vestigia vestra pressurum et Iordanem vestri instar divisurum, id est quidquid est obstaculi fluxui apostolicae praedicationis aut contrarii

[1] IV *Reg.*, II, 12. — [2] Cf. MARC., VI, 34.

rectae fidei. Et nos ad instar filiorum prophetarum dicimus: Vere requievit spiritus Eliae in Elisaeum, venerabilem Paulum[1], et pascet gregem suum ad aquas quietis et pratum spiritale, doctrina scilicet apostolica et paterna. Deus autem orationibus vestris, quae ad caelum adscendunt, annuens ponet hunc super candelabrum valde fulgens, super thronum apostolicum Antiochenorum, qui in spiritu a vobis legitime et canonice proclamatus est. Et nos loquimur verbum psalmistae[2]: « Benedictus Deus qui nos * transire fecit per ignem et aquas et tentationes, et nos eduxit in refrigerium pacis ecclesiarum. »

Explicit.

Exemplar Mandatorii[3] prioris beati papae Theodosii, ad Paulum patriarcham.

Sanctissimo fratri et collegae, archiepiscopo et patriarchae Mar Paulo: Theodosius.

Sperabam quidem, Deo pacem suam ecclesiis suis sanctis procurante, fore ut personaliter ordinationem facerem et incrementum sacerdotale afferrem reliquis fratribus nostris religiosis, qui usque in hodiernam diem propter spem in Christo nobiscum perseverarunt. Sed quia iudicium Domini, abyssus magna, ut scriptum est[4], et infirmitas corporis aliud consilium nobis imposuit, rogo sanctitatem tuam ut, hac in re caritatem suam erga nos veram manifestans, locum nostrum teneat et perficiat ordinationem, quasi ego ipse hanc ordinationem facerem, Longini, sacerdotis Deum diligentis, in episcopum populi christiani Nubiorum; ceteros autem sacerdotes, diaconos et lectores, promovebitis prout cuiusque postulat utilitas, dum recordamini quod saepius diximus de illis: servandum esse eorum gradum, nec ullam culpam eis imputandam ob ordinationes quae diversimode factae sunt * Alexandriae. Etiam si enim quidam eorum, prout homines, me qui etiam homo sum afflixerint, ego autem neglexerim nonnulla earum quae illos placavissent: Deus qui solus sine peccato est, in quo sunt thesauri philanthropiae et omnis bonitatis, condonet et illis et mihi. Intendendum est eis cum ceteris fidelibus ut orent sine ces-

[1] Cf. IV *Reg.* II, 14, 15. — [2] Cf. *Ps.* LXV, 12. — [3] ἐντολικόν (non autem ἀνατολικόν, ut scripsi Wrightum inconsulte sequutus.) — [4] *Ps.* XXXV, 7.

satione pro paupertate mea, ut dignus sim misericordiae in die rationis reddendae.

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, adiuvet etiam hac in re tuam sanctitatem et roboret, orationibus sanctorum suorum. Amen.

Subscriptio papae: « Novi ».

Explicit.

Mandatorium alterum eiusdem papae ad eumdem Mar Paulum patriarcham.

Sanctissimo fratri et collegae Paulo, auxilio Dei patriarchae civitatis Antiochenorum seu Theopolitarum, Theodosius: Gaude in Domino.

Valde sapienter et congruenter, gratia sibi desursum data, tuba sancta, quae caelestia contemplatur, minime defraudator nec perturbator fidei christianae, sapientissimus Paulus unum esse corpus praedicat perfectionem ecclesiae Unigeniti; *per unam fidem quae est in ea, colligat omnes, et huiusmodi* unionem operatur et adhaesionem, sicut scriptum est[1]: « Multitudo autem eorum qui crediderunt habebat cor unum et animam unam »; ita ut si membrum unum quodcumque patiatur, in omnes transire * hunc sensum necesse sit. Et decet eos quibus vestis sacerdotalis imponitur et qui gratia muneris pastoralis digni habiti sunt, omnem laborem assumere ut sana et firma sint omnia membra ecclesiae. Non minus igitur quam nobis, tibi cura incumbit de nobis et de Aegypto nostra; nec sine periculo esset, quod sollicitudinem quam valeas erga hoc membrum non agas; cum notas habeat sanctitas tua, melius quam quivis alius, difficultates quae nos occupant. Multa exempla et canones, in temporibus agitatis hisce similibus, sanctorum patrum praetermitto, cum non indigeam multis verbis. Quia enim ille qui ab initio odit et impugnat homines arma possidet, peccata nostra, longiorem fecit nostram separationem a fratribus et filiis nostris, et eos qui rectam tradunt doctrinam de inhumanatione Unigeniti extra sedes eorum constituit, ita ut plurimi eorum ob persecutiones a negotiis humanis removeantur, periculum est ne, maiore in parte, clauda et vidua maneat

[1] *Act. Ap.*, IV, 32.

ecclesia Dei nostra; nam principes et antistites alii, pro eis qui abierunt, ordinationem non acceperunt, nisi paucissimi numero. Et quidem, usque in hodiernam diem, dum alienis cogitationibus alebamur, sperabam postquam reversus fuerim ad sedem mihi a Deo creditam, huiusmodi ordinationes me ibi perfecturum, neque unam e civitatibus sub manu nostra *constitutis* sacerdote destitutam relicturum. Nunc autem, cum mora facta sit propter multitudinem peccatorum meorum, me videns in infirmitate corporali constitutum, et canitiem albescentem iamque ad messem paratam, huic epistulae intendo: et per illam iubeo et deprecor tuam fraternitatem ut deducat quosdam e venerabilibus episcopis * Orientis ad urbem Christum diligentem Alexandrinorum, et in omnibus vices nostras impleat in ordinationibus ceterisque legibus ecclesiasticis et regulis, nihilque agatur omnino sine voluntate et iudicio vestro. Vobis autem aderunt auxiliaturi et ministraturi in his quae a vobis agentur, tanquam mihi praesenti, etiam Iohannes[1] et Leonidas[2] et Iosephus[3] venerabiles episcopi. Iam enim scriptis praecepi eorum fraternitati ut haec agerent. Confirmamus enim ea quae a vobis *agentur* sicut ea quae hic facta sunt pluribus vicibus nomine nostro, sive in scriptis sive sine scriptis: quae vera et stabilia et firma reputavimus. Oramus pro valetudine vestra bona, ob bonam voluntatem vestram et sollicitudinem de hisce rebus. Ita etiam omnia quae ibi peragentur omnino rata habebimus. Fiduciam enim habemus in sanctitate vestra, cuius iam antea in multis experientiam sumpsimus, et cui prudentia a Deo concessa est, cum gratiis aliis. Nec ullo modo contradicemus cuique ex his quae ab ipsa disponentur. Quid autem amplius faciemus? Attamen ad veram persuasionem rei, id est me omnia probaturum quae a vobis decernentur, etiam testes esse proximos nostros et nobiscum subscribere huic mandato[4] nostro disposuimus.

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, in omnibus adiuvet sanctitatem tuam, per orationes sanctorum. Amen.

Subscriptio papae: Valeas.

Iohannes, gratia Dei archiepiscopus metropolis Ephesiorum,

[1] Ep. Cellarum. — [2] Ignotae sedis. — [3] Ep. Metelis. — [4] ἐπίσταλμα.

cum licentiam acceperim, * necnon et qui mecum testati sunt, a beato Theodosio archiepiscopo christophilae civitatis Alexandrinorum, testans ego, huic libello mandatorio subscripsi, qui etiam coram me lectus est; in quo et ipse praeposuit crucem pretiosam et illud: « Valeas » propria manu, propter infirmitatem corporis.

Iohannes, gratia Dei episcopus civitatis Pelusiotarum, eodem modo subscripsi.

Longinus, gratia Dei presbyter ecclesiae sanctae Alexandrinorum, eodem modo subscripsi.

Basilius, gratia Dei presbyter sanctae Dei ecclesiae huius urbis regiae, eodem modo subscripsi.

Petrus, gratia Dei diaconus sanctae Dei ecclesiae Alexandrinorum, eodem modo subscripsi.

Explicit.

EIUSDEM SANCTI PATRIARCHAE THEODOSII: AD IOHANNEM ET LEONIDAM ET IOSEPHUM, VENERABILES EPISCOPOS.

Sanctissimis et Deum timentibus fratribus et collegis, Iohanni, Leonidae et Iosepho, episcopis, Theodosius: in Domino nostro gaudete.

Semper quidem mihi gratum est per scripta amplecti sanctitatem vestram, cum id manibus non valeam, propter rationes quas novit is qui sapienter dirigit * vitam nostram; multo autem magis quando urget res ex his quae spectant ad stabilimentum et aedificationem ecclesiae. Quia enim peccata mea coram me sunt semper et usque nunc, quatenus pendet ab hominibus, impediunt iter nostrum ad vos, visum est nobis *opportunum* Paulo, beato fratri nostro et collegae, mandare ut in omnibus locum nostrum susciperet, et veniret in civitatem christophilam Alexandrinorum secum deducens etiam nonnullos ex venerabilibus episcopis Orientis, et constitueret episcopos in civitatibus aegyptiacis quae destitutae sint pontificibus, ceterarumque institutionum et negotiorum ecclesiasticorum curam ageret. Et semel haec iussimus eum perficere quae nos praesentes acturi essemus; et volumus ut fraternitas vestra in Christo, auxilietur ei ministretque, quasi mihi praesenti, quae ab eius

sanctitate disponentur. Servatores enim erimus omnium quae ab eius sanctitate facta fuerint, et rata habebimus; tota enim anima nostra haec amplectemur.

Consilium autem nostrum manifestavimus et clero Christum diligenti Alexandrinorum, et patribus monachis[1], et populo; 5 non tantum, sed et Theodoro, venerabili fratri nostro et collegae, et eis qui in Thebaide et in Arcadia sunt archimandritis sanctorum coenobiorum, et populo fideli. Ob autem quamdam prudentem causam, non visum est nobis notario solito utendum esse. 10

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, si ipsi gratum * p. 138 est, nos dignos faciat qui salutaremus * facie ad faciem, precibus omnium eius sanctorum. Amen.

Explicit.

EIUSDEM SANCTI PATRIARCHAE THEODOSII, AD VENERABILEM 15 THEODORUM EPISCOPUM, ET AD EOS, QUI SUNT IN THEBAIDE ET IN ARCADIA, MONACHOS, ARCHIMANDRITAS ET FRATRES FIDELES.

Religiosissimis et piissimis Theodoro episcopo[2], et patribus monachorum, et archimandritis et fratribus fidelibus qui sunt in Thebaide et in Arcadia[3], Theodosius: in Dno nostro gaudete. 20

Semper quidem mihi gratum est (*etc., iisdem verbis ut supra, p. 95*) ... tota anima nostra haec amplectemur.

Consilium autem nostrum manifestavimus et clero Christum diligenti Alexandrinorum, et patribus monachorum et populo; non tantum, sed et Iohanni et Leonidae et Iosepho episcopis, 25 fratribus nostris et collegis. Propter autem quamdam prudentem causam non mihi[4] visum est notario solito utendum esse.

Unitas in Trinitate (*etc., ut supra, usque ad finem*)

* p. 139. * EIUSDEM: AD EOS QUI SUNT ALEXANDRIAE.

Religiosissimis et piissimis presbyteris et diaconis, subdiaco- 30 nis et lectoribus, et patribus monachorum et archimandritis, et populo fideli civitatis nostrae christum diligentis Alexandriae, Theodosius: in Domino nostro gaudete.

Erat quidem mihi zelus et cupido etiam oculis carnalibus

[1] Legend. « monachorum », ut infra, l. 19. — [2] Ep. Philarum. — [3] Aegypti regio, infra Thebaidem. — [4] Supra « nobis ».

vestram in Christo fraternitatem videndi. Mihi enim testis est Deus, ut apostolice loquar[1], quod sine intermissione memoriam vestram facio semper in orationibus meis; et gratiam peto et deprecor eius bonitatem, ut aliquomodo iam 5 nunc parata sit mihi via, in eius beneplacito, ut revertar ad vos et consolatione fruar vobiscum per mutuam fidem, vestram et meam, et effundam lacrimas suavitatis, et narrem in gaudio negotia persecutionis. Persuasum etiam habeo caritatem vestram eadem mecum cupire et deprecari per hanc dilectionem 10 quam erga vestros patres semper servare solliciti fuistis, confirmantes verbum sanctum quod dicit[2]: « Gloriatio patrum nepotes eorum; gloria autem filiorum patres eorum. » Sed quid decet nos facere: nisi iudiciis Dei cum actione gratiarum acquiescere, et visitationem ab eo exspectare? « Scimus enim quod patientia 15 probationem operatur, probatio autem spem quae non confundit[3] »; etiam quod « qui patiens erit usque ad finem, in finem vivet[4] ».

Nolo autem vos, fratres mei, ignorare quod antea pluries incitati sumus a viris fidelibus ut civitatibus aegyptiacis cete- 20 risque * nostris quarum sedes vacant, pastores institueremus * p. 140. qui capaces sint pascendi populum et regendi ecclesiam Dei magni et salvatoris nostri Iesu Christi. Ex parte quidem quantum possibile fuit, hac de re sollicitudinem habuimus, dum quosdam ad episcopatum promovimus, quibus etiam confir- 25 mationem hac de re in scriptis fecimus; penitus autem negotium perficere non valuimus, propter duritiem temporis quod summa prudentia indigebat; quia semper sperabamus reditum ad vos nobis concedendum esse ab eo qui dives est gratiae et misericordiae, Christo Deo nostro. Confiteor quidem me, cum 30 huiusmodi spe foverer, aliquid agere ex his quae requirit cura ecclesiarum sanctarum throno nostro subditarum neglexisse.

Verum, Oriens totus et loca alia, per Christum, plus minus sacerdotibus venerabilibus et archiepiscopis plena sunt. Cum autem nunc, propter peccata mea multa et propter internas 35 proditiones eorum qui nostri esse existimantur, moram augeri

[1] Cf. *Rom.*, I, 9-13. — [2] Cf. *Prov.*, XVII, 6. — [3] *Rom.*, V, 3-5. — [4] Cf. MATTH., X, 22.

video, et iam ad senectutem profundam declino et ad morbum, congruum iudicavi ut Paulum venerabilem fratrem nostrum mitterem, — quem voluntate Dei et consensu nostro ab episcopis Orientis vi abductum, pastorem et summum pontificem civitatis Theopolitarum constituimus, dum omnia rite circa eum egimus, id est quiquid canones et exempla patrum nostrorum sanctorum in persecutionibus ecclesiarum et temporis difficultatibus prescribunt, — qui duceret secum quosdam ex religiosissimis episcopis Orientis et veniret in civitatem nostram christophilam, et quos probaret dignos esse antistites constitueret * in civitatibus quae pontificibus destitutae sunt, curam quoque ageret de ceteris legibus ecclesiasticis institutionibusque, et in omnibus legibus vices nostras impleret ut nullo modo nullibique regionis deficiant ordines sacerdotales, sed multiplicentur et augeantur discipuli Christi in glorificationem et laudem nominis eius sancti.

Scripsimus etiam venerabilibus fratribus nostris episcopis qui superstites sunt, ut ei adsistent et ministrent quae opus essent eius sanctitati. Confirmamus enim nos, in omnibus, quae ab eo disponentur, et omnia rata habemus atque firma, et quasi nos propriis manibus fecissemus, quae ab eo peragentur. Talia enim secundum consuetudinem sunt in institutionibus ecclesiasticis, maxime temporibus persecutionis. Ne id vos decipiat, fratres honorati, quod propter quamdam prudentem causam non usi sumus notario nostro solito, sed alium scribere hanc praesentem epistulam iussimus. Disposuimus, quasi quidem superfluum, verumtamen ad persuasionem maiorem veritatis facti, ut quidam e diligentibus Deum *episcopis* et viris fidelibus testimonium et notitiam apponerent in hoc scripto nostro, et in mandato nostro ad venerabilem Paulum supra commemoratum dato. Si Deus nobis ut vivamus et possimus concesserit, et si id congruum iudicaverimus edemus etiam ecclesiasticam *constitutionem,* confirmantes eos qui ab eo vel per ipsum recipient ordinationem, ut etiam hinc sit eis solita institutio. Si autem quid aliud placuerit Deo circa nos, volumus ut qui recipient impositionem manuum ab eius sanctitate quasi a me institutionem ecclesiasticam acquisiverint se gerant. Satis erit eis haec epistula nostra misera, * et licentia haec nomine nostro

facta eis a venerabili fratre nostro iam pluries commemorato.

Haec autem manifesta faceremus caritati vestrae nos decebat, ut coram Deo et coram hominibus sine culpa maneamus, utpote qui nihil neglexerimus eorum quae ad stabilimentum et aedificationem ecclesiae spectant. Utinam Dominus, qui vult misericordiam, annuens precibus sanctorum suorum precibusque vestris, det aliquando nobis solutionem harum difficultatum, et nos dignos faciat ut facie ad faciem salutaremus caritatem vestram desideratam. Manifestum est enim etiam ex necessitate fuisse quod praedictus frater noster a nobis iussus sit implere locum nostrum. Neque decet nos desperare et ruere, cum consideramus bonitatem Dei omnipotentem et invincibilem, sed orare et eum deprecari in omni verecundia. « Quae enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud eum.[1] »

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, in omni integritate servet spiritum vestrum, animam vestram, corpus vestrum; qui est nobis omnibus murus et antemurale, disponens proposita secundum suam voluntatem sanctam, precibus omnium sanctorum. Amen. Orate pro me ad Dominum: mihi carissimi et desideratissimi.

Subscriptio papae: Novi.

Iohannes, gratia Dei archiepiscopus metropolis Ephesiorum, cum licentiam acceperim, una cum iis qui mecum testati sunt, a beato Theodosio archiepiscopo civitatis Christum diligentis Alexandrinorum, testans ego, subscripsi huic epistulae, quae etiam mihi lecta est, et in qua ipse * praeposuit crucem pretiosam et illud « Novi » propria manu, propter debilitatem corporis.

Iohannes, gratia Dei episcopus civitatis Pelusiotarum, — eodem modo subscripsit[2].

Longinus, gratia Dei presbyter ecclesiae sanctae Dei Alexandriae, — eodem modo subscripsit.

Basilius, gratia Dei presbyter ecclesiae sanctae Dei huius urbis regiae, — eodem modo subscripsit.

Petrus, gratia Dei diaconus ecclesiae sanctae Dei Alexandriae, — eodem modo subscripsit.

Explicit.

[1] Luc., xviii, 27. — [2] Has tres voces subscriptioni integrae substituit amanuensis.

Exemplar Epistulae gloriossimi patricii Hareth, scriptae ad venerabilem Mar Iacobum.

Noverit sanctitas tua quod postquam complanavit viam Deus, et sancta Deigenitrix, rebusque meis dispositis, cum in eo essem ut exirem ab hac urbe regia, narratum est mihi negotium de quo vobis locutus est antea, et propter quod etiam nunc scripsit vobis venerabilis abbas Paulus, archimandrita magnus. Et dixit mihi ad vos antea tres misisse epistulas. Optime igitur faciet sanctitas vestra si, personaliter apud me divertens, adduxerit etiam epistulas et eos quibus competit negotium tractare, sicut ipsi praescripserunt vobis. Si autem id facere non quidem vobis contingit, (*p. 144.) * urgente necessitate, quae non sinat vos ad me venire, viros cum epistulis mitte, et spero fore ut Deus secundum beneplacitum suum disponat negotium. Tales autem viros te decet eligere ad negotium, qui apti sint ad huiusmodi ministerium. Id etiam notum facio sanctitati vestrae, beatum papam Theodosium aequum iudicavisse ut mihi patefaceret quod spectat ad abbatem Paulum archimandritam magnum; et valde gavisus sum, et glorificavi Deum. Locutus sum enim cum eo facie ad faciem, et multum profecit anima mea, et studeo preces eius acquirere per ea quae mihi praescripsit. Haec scripsi, venerans vestigia sanctitatis vestrae, et enixe rogo ut memoriam mei faciatis in orationibus vestris sanctis et Deo acceptis.

Explicit.

Exemplar epistulae quae scripta est a venerabili episcopo Mar Iacobo, ad Eunomium venerabilem episcopum.

Venerabilissimo domino meo, servo Christi, principi sacerdotum Dei, Mar Eunomio: Iacobus.

Postquam scripsi epistulam huic anteriorem advenit exemplar edicti sacri imperatoris[1] quod missum est ad antistitem Antiochenorum, in quo aliquid hostile erga monachos continetur; haec cultor[1] vester Demetrius statim postquam scripta sunt, eis qui sunt in domo benedicta[2], misit, ut ea vobis aut Mar Cononi transmitterent, ut notum habeatis quae hic (*p. 145.) * agitantur contraria esse eis quae a vobis scribuntur. Postea autem ego petii monasterium Beth Aphthonii, et eos disposui ut ad

[1] Vide emendationes textus. — [2] In palatio Theodorae, Hormizdae dicto.

sanctum papam, propter venerabilem Mar Paulum scripta facerent, quibus in medio eorum subscripsi.

Id etiam scire debet sanctitas vestra, nempe duas petitiones factas esse ad regem et ad reginam nomine monachorum Orientis, quas Mar Athanasio[1] misimus ut per ipsum traderentur; quia nobis scripsit Mar Conon *Athanasium* nunc valde addictum esse beato papae, et sancto Mar Paulo, et sanctitati vestrae, atque pollere familiaritate regia. De his etiam gavisus sum. Et scripsi eum laudans quod mentem suam priorem mutaverit. Sed id usque ad vos. Sanctum autem Mar Paulum et sanctitatem vestram in Domino nostro saluto, et orationes vestras sanctas in auxilium postulo.

Epistula scripta ab episcopis orthodoxis Cpolis, ad episcopos orthodoxos Orientis, et archimandritis, sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, lectoribus universoque populo fideli.

Dominis nostris, sanctissimis fratribus et collegis, Iacobo, Theodoro, Iohanni, Iohanni, Iohanni, Sergio et reliquis episcopis ecclesiae sanctae Orientis;

* diligentibusque Deum sacerdotibus, Mari, monasterii beati (*p. 146.) Mar Bassi; Barḥabšabba, Monasterii magni; Zenobio, monasterii beati Mar Bizi; Constantino, monasterii beati Mar Eusebii; Iohanni, monasterii beati Mar Romani; Thomae, monasterii beati Mar Sergii τῶν Naphšata[2]; Abrahamo, monasterii Legīnē; Iohanni, monasterii ʿArabum; Andreae, monasterii Comitis Manassis; Haninae, monasterii Bītabōn; Marutae, monasterii Orientalium; Barlahae, monasterii beati Mar Iohannis de Beth Aphthonii; Marae, monasterii Speculae; Abrahamo, monasterii Cubbē; Sergio, monasterii sancti Mar Sergii; Iohanni, monasterii sancti Iohannis in Zucnīn; et reliquis archimandritis et monachis dioecesis Orientalis;

et sacerdotibus, diaconis, subdiaconis, lectoribus, universoque populo fideli ecclesiae nostrae sanctae Dei, quae est in Oriente:

Iohannes, Stephanus, Longinus[3], Ptolomaeus, Elisaeus et Paulus, Dei gratia episcopi.

Liber sacer et divinus, cum semper ad timorem Dei animas

[1] Monachus, Theodorae e sorore nepos. — [2] I. e. mon. « Stelarum » seu, ut aliis placet, « Animarum ». — [3] Ep. Nubiorum (cf. p. 92).

nostras excitet, nec rationes oeconomiae eorum quae accidunt voluit nobis tacere. Id quidem tuba clamat Antiquum testamentum, id et in Novo confirmatur. David enim prophetice psallit [1]: « Disponet verba nostra in iudicio ». Ecclesiastes divinus clamat [2]: « Tempus est omni rei et momentum omni negocio.» Paulus autem praeco legitimus ecclesiae docet ut omnia omnibus fiamus propter salutem hominum [3]. At vero tempora [4] oeconomiae docent nos viri theophori, qui apparuerunt doctores ecclesiae, in quibus caritas vestra in Christo diligenter fiduciam habet, et quorum agendi ratione sollicita continuo delectatur. Necessario igitur * nos quoque, humiles, usque in hanc diem perseveravimus, intendentes utilitati totius corporis, spe quod membra membris unirentur; nec ullo modo negleximus medicinam congruentem, suadentes, aedificantes, reprehendentes in caritate, secundum monitum Apostoli [5], et, testantes coram Deo et coram angelis eius sanctis, ut haec haeresis, — quae ob peccata nostra nunc orta est, quae damnata et omnino refrenata est a nostro patre, qui cum sanctis *est*, archiepiscopo Theodosio, per Tractatum quem composuit de Trinitate sancta et consubstantiali, — penitus a plantis ecclesiae sanctae Dei discedat.

* p. 147.

Et primum quidem, vivente adhuc illo sancto capite et sacerdotali [6], de mandato eius beatitudinis, subscripsimus, cum anathemate, huic Tractatui. Et non tantum *nos*, sed et qui habitant in hac urbe regia religiosi clerici, et qui erant in eius comitatu [7] sancto, dederunt subscriptionem eius beatitudini cum anathemate, qua hanc haeresim et omnes qui praeter doctrinam praedicti Tractatus patris nostri auderent docere aut loqui aut sentire, ab ecclesia sancta Dei quae apud nos *est* eiecerunt.

Postquam autem eius beatitudo migravit ad Deum, exorti sunt quidam qui non solum sine scriptis huic haeresi fautores facti sunt, sed etiam scriptis ausi sunt contraria tractatui ab eius beatitudine probato docere; quidam eorum etiam libellos dederunt adversus subscriptionem quae antea ab ipsis facta erat; ita ut per haec pertubationem non qualemcumque in ecclesia sancta Dei quae apud nos *est* excitarent, et opprobrium

[1] Cf. *Ps.* CXI, 5. — [2] *Eccl.*, VIII, 6. — [3] Cf. I *Cor.*, IX, 22. — [4] Sic ms.; leg. « rationes »? — [5] Cf. II *Tim.* IV, 2. — [6] Vide correctiones — [7] συνοδία.

et derisionem causarent eis qui diligenter res nostras prosequuntur. Nos autem postquam, personis quibusdam * sanctis, piis et gloriosis intercedentibus, plura pluries sine scripto disputata sunt, et nihil ex his quae stabilivit obtinuimus quod concederent, denique etiam ad mutua scripta devenimus. Et primum quidem inter nos factum est syndocticon, cum anathemate, in quodam loco palatii sacri; cui subscripserunt etiam diligentes Deum archimandritae Orientis qui, mandato venerabilis Mar Iacobi, huc venerant et nobiscum conveniebant. Tunc, singuli, viva voce anathematizavimus haeresim plurium substantiarum seu polytheismi, et eos qui non adhaerent syndoctico, quod factum est, quod incipit: « Eis quae ab illo qui cum sanctis *est*, patre nostro et archiepiscopo Theodosio facta sunt, sive eius mandato et consensu, quoad doctrinas, canones et ordinationes, in ecclesia sancta Dei apud nos, in omnibus adhaeremus [1].» Hac apologia facta, postquam duabus vicibus alii cum aliis simul, caritate respersi, ministravimus et communicavimus, uno tantum die elapso, quasi obliti sint haec omnia, et suum anathema nostrumque contempserint, protestationibus [2] usi, quae optime acta erant irrita faciebant. Rationem autem abrogationis ediscere licet, eis qui volunt, ab iis quae in Asia scripta sunt a quodam ex illorum fautoribus, et causa fuerunt perturbationis toti illi regioni. Ab hac itaque trangressione, merito seiunximus nos a communione cum illis, tempore congruenti. Rursum autem, cum nonnulli fideles, viri solliciti, zelum ostendissent et nos congregavissent, per dies multos invicem colloquuti sumus: illis quidem propter anathema et propter subscriptionem difficultatem moventibus, * nobis autem neutiquam consentientibus ut quid innovetur ex illis quae prius optime acta sunt. Denique tandem, prudentiae indulgentes, spe quod paulatim firmaretur vinculum spiritalis caritatis, ad conclusionem earum quae dicebantur sine certamine pervenimus; et factum est inter nos syndocticon aliud, seu allocutio [3], cui omnes subscripsimus; cuius initium est [4]: « Scriptum est, fratres, hominibus quidem suademus, Deo autem manifesti sumus [5]; et: ut parati simus rationem reddere omni interroganti de spe in nobis insita [6].» Statuta sunt dein, in scriptis a dicta allocutione di-

* p. 148.

* p. 149.

[1] Cf. infra, p. 108. — [2] διαμαρτυρίαι. — [3] προσφώνησις. — [4] Cf. infra, p. 109. — [5] II *Cor.*, V, 11. — [6] Cf I PETR., III, 15.

versis, capita nonnulla, quae ederentur ad utilitatem ecclesiae sanctae Dei quae apud nos *est*, ad confirmationem eorum quae legitime et canonice a beato papa nostro Theodosio constituta sunt, et ad abrogationem eorum quae perverse facta sunt a nonnullis pro haeresi nec non libellorum qui cum subscriptione 5 facti sunt et usque nunc exstant, dum circumferuntur sub sigillis communibus. Statutum est praeterea sine scriptis etiam id: Etiam si eis concessimus ut non anathematizarent, nos tamen, haereses quas iam antea per subscriptiones nostras anathematizavimus et eos qui absolute substantias aut naturas 10 in Trinitate sancta et consubstantiali cogitant aut praedicant, pariter rursum anathematizamus; illos vero ad tempus non urgebimus, donec coetus venerabilium episcoporum omnium locorum ecclesiae sanctae Dei, quae apud nos *est*, viderit. Id etiam a nobis factum est, sine scriptis, post apologeticam 15 * p. 150. allocutionem. * Rursum autem hi, quorum consilium nequaquam praeelegimus, non solum haec omnia transgressi sunt, sed etiam calumniis adversus nos usi sunt, quibus in pericula fortasse devenissemus nisi, per gratiam Dei, magna fuisset erga nos imperatorum nostrorum misericordium philanthropia. 20

Cum haec igitur ita acta essent a nobis, ad hanc usque diem, propter spem vinculi caritatis spiritalis, venit apud nos semen divinum et caeleste, id est verbum Dei vivi [1]; quod desuper et ab initio germinavit quidem in coetu divino patrum nostrorum sanctorum et doctorum ecclesiae Dei sanctae, quae apud nos 25 *est*, seminatum est autem in animabus vestris sanctis et dedit fructum trigesimum, sexagesimum, centuplum, secundum sententiam Domini [2]; totam orbem illustrarunt certamina quae sustinuistis pro fide recta et immaculata, et ne sineretis quemquam mutare terminos antiquos quos posuerunt patres nostri: 30 quorum fructus collegistis, o sanctissimi! et recipietis coronam iustitiae, quemadmodum dixit divus Paulus [3]. Nos autem humiles, gaudemus pro vobis et vobiscum. Gaudemus revera, cum aedificatis de die in diem, supra fundamentum fidei, doctrinas rectas et elucidationes orthodoxas sanctorum patrum nostro- 35 rum, quibus etiam aedificatur sancta Dei ecclesia, quam portae inferni non sunt eversurae.

[1] Vel « vivum », seu vivificans. — [2] Cf. MATTH., XIII, 23. — [3] Cf. II *Tim.*, IV, 8.

Discimus autem quo modo etiam in civitate christophila Alexandrinorum multa agitata sunt propter huiusmodi haeresim plurium substantiarum seu polytheismi, et varias cautiones [1] apud ipsos constituerunt, qui sunt de * clero sancto huius * p. 151.
5 civitatis, ad confirmationem quidem eorum quae a beato archiepiscopo Theodosio facta sunt, ad destructionem vero huiusmodi haeresis atheae. Postularunt etiam ab eius laudatoribus cautionem [1] scriptam quatenus recedant ab huiusmodi opinione et in omnibus adhaereant eis quae dicta sunt a beato papa nostro
10 Theodosio. Et cum post cautionem sine sanatione mansissent ipsi fautores haeresis, zelo divino excitati sunt venerabiles episcopi et clerus sanctus, et in scriptis in ecclesia ad ambonem *lectis* per venerabilem Iohannem episcopum, anathematizarunt libellum atheum scriptum pro hac haeresi et qui illum
15 scripsit : cui anathemati consenserunt omnes venerabiles episcopi et diligentes Deum clerici praedictae ecclesiae Dei sanctae; illud autem incipit: « Cum autem is qui cum sanctis *est*, pater noster Theodosius archiepiscopus, recte et secundum doctrinam sanctorum patrum et docuerit et praedicaverit quomodo deceat
20 nos sentire et credere circa Trinitatem sanctam et consubstantialem [2]».

Fraternitas enim vestra paterna, sancta et diligens Deum, ut iam dictum est, sollicitudine divina, sicut divinus Elias, usa est syndoctico, quod apud ipsam *factum est*, adversus dictam
25 haeresim et in confirmationem eorum quae a beato patre nostro et archiepiscopo Theodosio scripta sunt, quod idem est ac si dicamus a Severo et Anthimo et ab eis qui olim et ab initio recte paverunt ecclesiam Dei sanctam; cuius initium hoc est: « Cum autem Spiritus sanctus semper operatur in ecclesia
30 sua sancta, quae acquisita est salutari sanguine Unigeniti Dei, ea quae proficiunt ad stabilimentum fidelium et ad destructionem haeresium fallacium [3]». — Et non id tantum, sed etiam epistula * communi usi sunt venerabiles nostri patres et fratres * p. 152. Iacobus et Theodorus ad coetum universalem sanctorum coe-
35 nobiorum vestrorum; et in ea docuerunt apostolice [4] ne dicamus « Avete » eis qui huiusmodi haeresi addicti sunt, neve ingre-

[1] ἀσφάλειας — [2] Vide infra, p. 112. — [3] Cf. infra, p. 112. — [4] Cf. II IOH., 10.

derentur monasteria aut domum prius quam recte anathematizaverint hanc haeresim polytheistam aut potius atheam. Initium epistulae est: « Cum certiores sumus de accurata fide et de sublimitate vitae fraternitatis vestrae Deum diligentis, notum vobis facimus, prout didicimus, nonnullos monachos, ex eis qui quasi ex consuetudine errant, incidisse in hanc haeresim, ob peccata nostra nunc exortam, eorum qui dicuntur tritheitae seu polytheitae.[1] » Rursum vero, alio syndoctico, zelum producens, usus est princeps vester Deo gratus et sanctus, cui etiam subscripserunt omnes, et in quo non solum statuta patrum confirmarunt, sed etiam librum atheum haeresis polytheismi, et eum qui hunc scripsit et ipsam haeresim anathemati canonico subiecistis[2]; cuius initium est: « Ante paucum tempus congregati sumus nos omnes archimandritae in monasterio sancti Mar Bassi, quod est in Bītabō pago, et, favente Deo, consilium cepimus, et primum quidem confirmavimus in declaratione scripta, cui etiam subscripsimus[3] ».

Huiusmodi quidem zelum laudabilem et divinum imitati sunt religiosi clerici et archimandritae ecclesiae Dei nostrae qui sunt in Isauria et in Cilicia, qui pariter decertarunt pro doctrinis rectis et paternis, et coronis induti apparuerunt: optime et legitime leges paternas servaverunt et, mutua exhortatione firmiter adhibita, adhaeserunt allocutioni[4] in hac civitate regia a * nostra paupertate factae et syndoctico a sancta congregatione vestra facto, per suam subscriptionem; anathemati canonico subiecerunt eos qui secus ac doctrinas rectas in eo expressas opinantur; eius initium est: « Praeco religionis et apostolus divinus Paulus, alta voce clamat nobis et dicit[5]: Vosmetipsos probate, si estis in fide; et cum talis legislator, maxime in tempore arduo praesenti, etc. »

Cum itaque haec, ut dictum est, ab ecclesia sancta Dei nostra ubique facta essent et ad nos relata essent, congruenter nos quoque gavisi sumus et vobiscum gaudemus, et dispensatori bonorum Deo laudes agimus pro commemorata concordia in doctrinis rectis et paternis, in ecclesia sancta Dei nostra, et in vinculo unionis.

* p. 153

[1] Cf. infra, p. 115. — [2] Sic. — [3] Cf. infra, p. 116. — [4] προσφώνησις. — [5] Cf. II *Cor.*, XIII, 5.

Laetantes igitur et exultantes, in gaudio spiritali recipimus et quasi nostra amplectimur ea quae in urbe magna Alexandrinorum, et quae a vobis in Oriente, et quae in regione Isauriae et Ciliciae optime et spiritaliter constituta sunt, ut antea dictum est; veraque et accurata ea habemus, sigillum in eis doctrinae sanctorum patrum esse fatemur; haec expansis manibus recipimus; eis iungimus et syndoctica quae inter nos in hac civitate regia facta sunt, quorum supra mentionem fecimus; siquidem spiritu mutua unione colligamur et idem sentimus in Christo Iesu Deo nostro. Qui autem secus ac doctrinas has pias et paternas sentiunt aut docent, aut qui prorsus audent impie praedicare deitates aut substantias aut naturas, in sancta et consubstantiali Trinitate, * vel deitatem Patris non esse deitatem Filii nec Spiritus sancti, sed esse aliud et aliud et adhuc aliud, eos tanquam aliena et peregrina a libro divino doctrinaque recta et immaculata sanctorum patrum sentientes, anathemati adversus haereticos prolato subicimus, simul atque eos qui dicunt, opinantur vel docent Trinitatem sanctam et consubstantialem per unam e suis hypostasibus incarnatam esse; nam fidem damus divino apostolo et veritatis praeconi qui dicit[1]: « Si quis vos doceat praeter quod accepistis, sive nos, sive angelus de caelo: anathema sit! » Vultum igitur nostrum avertimus et alienos ab ecclesia sancta Dei nostra iudicamus eos quoque qui audent quacumque ratione aliquid spernere ex legibus ecclesiasticis consignatis a dictis viris qui ad Deum migraverunt, patribus nostris sanctis, usque ad Severum et Anthimum et Theodosium.

Notam igitur ut habeat fraternitas vestra paterna, sancta, religiosa, stabilitatem immutabilem Dei gratia supra petram, id est Christum, etiam nostri, qui sumus humilia membra vestra, hac praesenti epistula usi sumus; cui etiam subscripsimus quisque propria manu; misimus quoque cum ipsa exemplar syndocticorum quae facta sunt diverso tempore, ut dictum est, propter dictam haeresim, et Alexandriae et in hac urbe regia; quae vero facta sunt in Isauria et in Cilicia omnimodo pervenisse ad vestram sanctitatem persuasum habemus.

* p. 154

[1] *Gal.* I, 8.

Salutant vos nobiscum in Christo sacerdotes religiosi Eusebius, Conon, Iohannes, Sergius, Polychronius et omnes religiosi clerici, qui * zelum et leges paternitatis vestrae probant, totusque populus fidelis huius urbis regiae. Salutate in Domino nostro universam fraternitatem quae vobiscum est et a vobis dirigitur, et omnes fideles ecclesiae sanctae Dei quae apud vos est. Preces sanctas vestras et Deo acceptabiles quibus auxilium praebetis parvitati nostrae, quae eis valde indiget, nolite cessare, o venerabilissimi et piissimi patres et fratres!

* p. 155.

Exemplar subscriptionum:

1. Iohannes, gratia Dei episcopus[1], consentiens ego omnibus quae superius scripta sunt, et vera reputans quae ubique in ecclesia sancta Dei nostra facta sunt, ad confirmationem quidem legum paternarum, ad destructionem vero haeresis plurium substantiarum seu polytheismi, anathematizans quoque eos qui aliter sentiunt, subscripsi propria manu.
2. Stephanus, gratia Dei episcopus[2], etc. (*iisdem verbis*)
3. Ptolomaeus, gratia Dei episcopus, etc.
4. Elisaeus, gratia Dei episcopus, etc.
5. Longinus, gratia Dei episcopus, etc.
6. Paulus, gratia Dei episcopus[3], etc.

Explicit.

* p. 156.

* EXEMPLAR SYNDOCTICI[4] QUOD FACTUM EST ALEXANDRIAE ET IN URBE REGIA.

Exemplar syndoctici quod factum est inter nos et eos qui sunt e parte venerabilis Mar Cononis, in loco quodam palatii sacri; cui etiam subscripserunt Deum diligentes archimandritae Orientis.[5]

Eis quae ab illo qui cum sanctis est, patre nostro et archiepiscopo Theodosio facta sunt, sive eius suasione vel consensu, quoad doctrinas, canones, ordinationes in ecclesia sancta Dei nostra, in omnibus adhaeremus; *ea* recta, vera, firma et immutabilia habemus, et toto tempore nostro postea habebimus. Igitur etiam Tractatum ab eius beatitudine scriptum circa quaestionem paulisper antea exortam, de Trinitate sancta et

[1] Ephesi. — [2] Cypri. — [3] Probab. Aphrodisiadis. — [4] συνδοκτικόν — [5] Cf. supra, p. 103.

consubstantiali, amplectimur et firmiter ei inhaeremus, et habeat auctoritatem in ecclesia sancta Dei nostra volumus. Quoad autem subscriptionem, quae facta est ab eis qui habitant in in hac urbe regia et ab eis qui sunt e comitatu illius *viri* sacro, sancitum est inter nos: qui subscripserunt et qui non subscripserunt non debent se invicem repellere hac ratione, aut litigare hac de causa, sed mutuam communionem inire. Quod attinet ad eos qui meditarentur mutare aut transgredi confessionem in eis propositam, vel auderent sentire aut dicere tres deos aut tres quosdam deos, aut tres substantias seu tres quasdam substantias, aut tres naturas seu tres quasdam naturas, aut pluralitatem substantiarum vel naturarum, aut absolute substantias vel naturas in Trinitate sancta et consubstantiali, * quae inducunt pluralitatem deorum paganismi, ab eis, tanquam peregrina et aliena a sancta ecclesia Dei opinantibus, avertimus faciem nostram, et eos anathematizamus alienosque ab omni communione Orthodoxorum iudicamus; necnon et eos qui auderent docere, sentire aut dicere deitatem seu substantiam Trinitatis sanctae et consubstantialis, quod idem est ac ipsam sanctam Trinitatem, per unam e suis hypostasibus incarnatam esse, nec confiterentur unum ex Trinitate, hypostasim nempe Dei Verbi, ipsam incarnatam et inhumanatam esse, et unamquamque hypostasium Patris et Filii et Spiritus sancti, quando in se ipsa consideratur, Deum esse vere, et substantiam et naturam, non autem ex alia deitate aut substantia aut natura, sed ex una eademque.

* p. 157.

Explicit.

EXEMPLAR DECLARATIONIS SEU ALLOCUTIONIS[1] ALTERIUS, QUAE INTER NOS ET ASSECLAS VENERABILIUM CONONIS ET EUGENII FACTA EST HORMISDAE[2]; CUI ETIAM OMNES SUSCRIPSIMUS.[3]

Scriptum est fratres, « hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus »; et « ut parati simus rationem reddere omni interroganti de spe in nobis insita »[4]. Cum autem has admonitiones spiritales mente nostra accepissemus, nos humiles congruum esse reputavimus, * cum universim congregaremur, ut

* p. 158.

[1] προσφώνησις — [2] Nomen palatii in urbe Cpoli. — [3] Cf. supra, p. 103. — [4] Cf. II *Cor.*, v, 11; I PETR., III, 15.

omnem causam scandali tolleremus. Notum itaque facimus caritati vestrae, id est omnibus qui in communione nostra perseverant, qualiter mutuum consensum habemus circa fidem rectam, et quomodo nihil sensimus aut sentimus alienum aut peregrinum a sanctis theophoris ecclesiae mysteriorum peritis, sed eorum doctrinae adhaeremus. Rursum autem, quod ad ea quae proposita sunt a patre nostro, qui cum sanctis *est*, archiepiscopo sanctae Dei ecclesiae Alexandrinorum Theodosio, confitemur omnia quae a praedicto beato papa nostro Theodosio facta sunt, aut de eius mandato vel consensu, in ecclesia sancta Dei nostra, sive quoad doctrinas, sive quoad canones, sive quoad ordinationem[1], a primo die eius ordinationis ad ultimum halitum, vera et firma et immutabilia esse; eius quoque Tractatum de sancta et consubstantiali Trinitate paullo ante propositum ob exortam quaestionem *recipimus;* qui vero obstiterunt vel obsistunt doctrinae huius tractatus, sive scriptis sive sine scriptis, eos excommunicamus. Quod vero attinet ad subscriptionem factam a religiosis clericis qui in hac civitate regia degunt et a sacro comitatu eius beatitudinis, placuit ut iudicio totius coetus episcoporum orthodoxorum ecclesiae sanctae Dei nostrae negocium examinandum dimitteretur, et quaecumque ab eis decernerentur omnes amplectaremur; nec quis iam hac de re contendat cum aliis, donec coetus universalis iudicium ferat, sed absque ulla contentione invicem communicent et qui subscripserunt et qui non * subscripserunt. Si autem quis invenietur qui noluerit iudicio communi adhaerere ab huiusmodi *viro* avertemus faciem nostram. Confitemur praeterea, ad instar eorum quae a beato papa nostro Theodosio dicta sunt, quod non docebimus aut dicemus aut cogitabimus tres deos aut tres quosdam deos, tres divinitates aut tres quasdam divinitates, tres substantias aut tres quasdam substantias, tres naturas aut tres quasdam naturas, aut pluralitatem divinitatum vel substantiarum vel naturarum, aut absolute[2] divinitates vel substantias vel naturas; aut numerum definitum vel indefinitum divinitatum, substantiarum, naturarum in Trinitate sancta et consubstantiali: quae sunt fontes polytheismi paganorum; aut divinitatem Patris non esse divinitatem Filii aut Spiritus

* p. 159.

[1]Sic ms., sed legend. plurali numero; cf. p. 108. — [2]ἁπλῶς.

sancti, sed aliud et aliud; scimus enim unam et eamdem esse immutabilem trium hypostasium divinitatem, substantiam et naturam; etiam *confitemur* quod non audebimus docere, praedicare, cogitare divinitatem, seu substantiam et naturam sanctae Trinitatis consubstantialis, quod idem est ac dicere sanctam Trinitatem, per unam e suis hypostasibus incarnatam esse; sed profitebimur unum e Trinitate, id est hypostasim Dei Verbi, — quam cum seorsum consideratur, sicut et Patrem et Spiritum sanctum, Deum verum et substantiam et naturam agnoscimus, quemadmodum docuerunt patres sancti, — ipsam solam incarnatam et inhumanatam esse e Spiritu sancto et sancta semper virgine Deigenitrice Maria; carnem nobis consubstantialem et nostris passionibus assimilatam, anima rationali et intellectuali animatam, is sibi composuit, cum nec Pater incarnatus aut inhumanatus est, nec * Spiritus sanctus. Ab eis qui secus loquuntur, et *haec* reputant non orthodoxa, sed peregrina et aliena a doctrina apostolica patrum theophororum, avertimus facies nostras, et eos alienos a communione nostra iudicamus.

* p. 160.

Ad confirmationem et fidem faciendam populis fidelibus, unusquisque nostrum subscripsit huic declarationi propria manu.

Subscriptio episcoporum:

Iohannes, humilis, confiteor ea quae superius scripta sunt, et avertens faciem meam removeo a communione mea eos qui secus cogitant: subscripsi propria manu.

Conon, humilis, confiteor, etc. (*iisdem verbis*)

Eugenius, humilis, confiteor, etc....

Stephanus, humilis, confiteor, etc....

Elisaeus, humilis, confiteor, etc....

Longinus, humilis, confiteor, etc....

Exemplar scripti anathematis quod demum factum est Alexandriae in ambone, * post praevias cautiones[1] ab eis factas, per venerabilem episcopum Iohannem[2]; cui etiam consensit universus clerus religiosus civitatis Alexandriae magnae[3]

* p. 161.

[1] ἀσφάλειας. — [2] Ep. Cellarum. — [3] Cf. supra, p. 105.

Cum autem, is qui cum sanctis est, pater noster et archiepiscopus Theodosius recte et secundum doctrinam sanctorum patrum et docuerit et praedicaverit quomodo deceat nos sentire et credere circa Trinitatem sanctam et consubstantialem, invenimus ea, quae scripta sunt a Iohanne Grammatico, qui dicitur Philoponus, sed verius haereticus *dicendus est,* plena esse atheismi et contraria Tractatui de Trinitate sancta composito a dicto sancto patre nostro Theodosio, necnon doctrinae patrum qui recte docuerunt verbum veritatis. Anathematizamus autem quaecumque hac de re scripta sunt ab illo Grammatico Iohanne, qui dicitur cognomine Philoponus, verius autem atheus *dicendus*, et eos qui ea recipiunt. Ipsum quoque Iohannem Grammaticum anathematizamus, et clericum quemcumque qui daret ei oblationem, priusquam poenitentiam egerit ob hanc rem; et Sabellium et eos qui eius opiniones recipiunt; et alienum iudicamus esse hunc Iohannem a Trinitate sancta et consubstantiali, et a communione nostra.

Explicit.

EXEMPLAR SYNDOCTICI PRIORIS, QUOD FACTUM EST IN ORIENTE A PIISSIMIS ARCHIMANDRITIS; CUI ETIAM SUBSCRIPSERUNT * SINGULI [1].

* p. 162.

Factum est autem post consummationem eius qui cum sanctis est, papae et confessoris Theodosii. [2]

Cum autem Spiritus sanctus semper operatur in ecclesia sua sancta, quae adquisita est salutari sanguine Unigeniti Dei, ea quae proficiunt ad stabilimentum fidelium et ad destructionem haeresium fallacium, nunc quoque excitavit nos omnes archimandritas, qui subscriptionibus appositis cognoscimur.

Mense 'iyār, die decimaseptima, anno sexcentesimo decimoquinto secundum aeram Antiochenorum [3], convenimus in monasterium sancti Bassi, in pago Bītabō [4], et consilium cepimus, ob nuncia quae ad aures nostras pervenerunt ab urbe regia, circa fidem apostolicam orthodoxam, declarationis [5] faciendae ad invicem, immo ad omnes qui sunt filii fidei nostrae per Deum.

[1] Cf. supra, p. 105. — [2] Mortuus est 19 iunii ann. 566. — [3] I. e. 17 maii ann. 567. — [4] Ms. hic « Abītabō ». — [5] πεῖσις.

Primum quidem reprobamus et anathematizamus omnem haeresim quae adversatur ecclesiae apostolicae; interdicimus communione nostra ei qui dicit aut statuit tres naturas aut substantias aut divinitates in una divinitate Trinitatis sanctae ab omnibus adorandae; et eis qui non recipiunt patres sanctos et beatos, Severum, dicimus, Theopolis, Anthimum Constantinopolis et Theodosium Alexandriae, et eorum scripta omnia, canones, verba, epistulas, ordinationes, et quidquid ab eis praescriptum et dispositum fuit.

Cum eis etiam reprobamus, faciem nostram avertentes, et extra communionem nostram eicimus [1] omnem qui non accipit venerabilem et beatum patriarcham nostrum Paulum, qui voluntate et auxilio Spiritus sancti, de mandato * et consensu venerabilis patriarchae nostri [2] Theodosii institutus est nobis patriarcha civitatis Antiochenorum, quem etiam confirmavit et stabilivit *Theodosius* per suas sanctas *epistulas* synodicas.

* p. 163.

Haec autem unusquisque nostrum sua sponte, propria subscriptione confirmavit.

Subscriptio:

1. Mārēs, presbyter et archimandrita sancti monasterii beati Mar Bassi, accipio et probo quidquid supra scriptum est.
2. Barḥabšabba, presbyter et archimandrita [1] monasterii magni Teledae, simili modo, consentio et accipio quidquid supra scriptum est.
3. Zenobius, presbyter et archimandrita monasterii Beth Mar Bizi, accipio quidquid supra scriptum est.
4. Constantinus, archimandrita monasterii Mar Eusebii, Kaphra Barthae.
5. Abraham, archimandrita monasterii Legīnē.
6. Antiochus, archimandrita monasterii Arabum.
7. Andreas, archimandrita monasterii Comitis Manassis.
8. Ḥanina, archimandrita claustri Bītabō. — Omnes nos adprobamus quidquid supra scriptum est.
9. Georgius, archimandrita monasterii Beth Mar Iohannis in Nērab.
10. Sergius, archimandrita monastèrii Beth Mar Antiochi.

[1] Vide correctiones. — [2] Sic ms.

11. Paulus, archimandrita monasterii Beth Mar Iohannis in Beth Zagaba.
12. Agathus, archimandrita Beth Mar Danielis.
13. Simeon, archimandrita Beth Mar Herodis.
14. Sergius, archimandrita Istumak. 5
15. * Mārēs, archimandrita monasterii Beth Mar Phocae, τῶν Dārusiātā. — Nos omnes adprobamus quidquid supra scriptum est. * p. 164.
16. Simeon, archimandrita Beth Mar Libanii.
17. Lazarus, presbyter, graecus. 10
18. Stephanus, archimandrita Beth Mar Cyrici.
19. Eusebius, archimandrita Beth Mar Cyrii. — Et nos omnes probamus quidquid supra scriptum est.
20. Sergius, archimandrita monasterii Kephar Ludīn.
21. Iohannes, archimandrita monasterii Beth Mar Eusebii. 15
22. Ionas, archimandrita qui stat supra columnam in pago Kephar Derion.
23. Zenobius, archim. Beth Mar Eustathii in pago Adāīk.
24. Stephanus, archimandrita Beth Mar Stephani in pago Sarmada. — Et nos omnes probamus quidquid supra scriptum est. 20
25. Simeon, archimandrita monasterii Beth Mar Rabbulae.
26. Gennadius [1], archimandrita monasterii Kephar Šelāē.
27. Thomas, archimandrita monasterii Senun.
28. Simeon, archimandrita monasterii Mar Cassiani.
29. Iohannes, archimandrita monasterii Cyriaci. 25
30. Barḥabšabba, archimandrita Arrae.
31. Iohannes, archimandrita Beth Mar Davidis.
32. Sergius, archimandrita monasterii Menīn [2].
33. Damianus, archimandrita Beth Mar Sergii in Kephar Nogeha. — Et nos omnes probamus quidquid supra scriptum est. 30
34. Simeon, archimandrita Libzenū.
35. Cyrius, archimandrita Seḥarthae.
36. Pacīda, archimandrita Seḥarthae.
37. Cozmas, archimandrita Kephar Nuran. 35
38. * Cyricus, archimandrita Beth Mar Eustathii. * p. 165.

[1] P. 119, l. 16 et p. 127, l. 2: « Gainas ». — [2] Pag. 120, l. 1, « Menī ».

39. Simeon, archimandrita monasterii Beth Isiōn.
40. Sergius, archimandrita Duran.
41. Simeon, archimandrita Kephar Ṣandīl.
42. Stephanus, archimandrita monasterii Beth Pīsiōn.
5 43. Cozmas, archimandrita Beth Ḥoragē.
44. Christophorus, archimandrita Beth Mar Eusebii.
45 Theodorus, archimandrita Anšit. — Et nos omnes probamus quiquid supra scriptum est.

Epistula venerabilium Mar Iacobi et Mar Theodori episcoporum, ad monachos orthodoxos. 10

Eis qui ubique *sunt*, religiosis et piis fratribus spiritalibus, presbyteris et archimandritis variorum coenobiorum, Iacobus et Theodorus, humiles [1].

Cum certiores sumus de accurata fide et de sublimitate 15 vitae fraternitatis vestrae piissimae, notum facimus vobis, prout didicimus, nonnullos monachos, ex eis qui quasi ex consuetudine errant, incidisse in haeresim, ob peccata nostra nunc exortam, eorum qui dicuntur tritheitae, id est polytheitae, et tria entia confitentur; et circumeunt quaerentes quosdam 20 e castis monachis et e fidelibus saecularibus inducere ut eorum haeresim amplecterentur. Haec itaque cum didicissemus, diligenter studuimus scribere ad fraternitatem vestram, ut vos omnem sollicitudinem adhibeatis ne ingressum invenirent sive in monasterium sive apud quemlibet e fidelibus, quantum * est * p. 166. 25 in potestate vestra; immo, ne quidem « Pax tibi », huiusmodi viro, ut apostolice loquamur [2], dicatis, nisi tamen prius vobis excusationem protulerit, anathematizando haeresim secundum rigorem canonum divinorum, id est recipiendo et grate excipiendo etiam Tractatum paullo antea compositum et accurate 30 dictum, ab eo qui cum sanctis est, patre nostro archiepiscopo et confessore Theodosio, adversus tritheitas seu pluralitatis substantiarum fautores.

Salutamus in Domino nostro pietatem vestram et totius fraternitatis quae vobiscum est.

[1] Cf. supra, p. 106. — [2] Cf. II Ioh., 11.

Subscriptio:
Valeatis in Domino nostro oramus.
Ipse pariter: Valeatis in Domino nostro oramus.

Explicit.

Exemplar syndoctici posterioris, quod factum est a piissimis archimandritis Orientis [1].

Ante paucum tempus congregati sumus nos omnes archimandritae in monasterio sancti Mār Bassi, quod est in Bītabō pago, et, favente Deo, consilium cepimus et primum in declaratione scripta, cui etiam subscripsimus, confirmavimus et nosmetipsos et omnes filios fidei nostrae circa fidem rectam, et omnia legitime dicta et canonice praescripta a sanctis venerandae memoriae archiepiscopis nostris et doctoribus. Et anathematizavimus omnem haeresim ecclesiae apostolicae adversantem, maxime vero illam tritheitarum seu * polytheitarum et plurium substantiarum fautorum, quae paullo ante exorta est; avertimus quoque faciem nostram ab eis qui non recipiunt praedictos venerabiles et beatos patres nostros: Severum Theopolis, Anthimum Constantinopolis et Theodosium Alexandriae, omniaque eorum scripta, canones, verba, epistulas, ordinationesque, et quidquid ab eis statutum est; immo et sanctum patriarcham nostrum Paulum, qui voluntate auxilioque Spiritus sancti et ipsius qui cum sanctis *est*, papae et martyris Theodosii, nobis constitutus est. Sed non puduit quosdam ex iis qui hac haeresi immunda et impia laborarunt, et propterea calumniantur praedictum beatum patriarcham nostrum Mar Paulum, audacter circumvagare, semina simul haeresis et calumniae in animabus inicientes simplicium, et dicere scribereque etiam Mar Iacobum et Mar Theodorum, venerabiles episcopos, nosque omnes praefectos coenobiorum dioecesis Antiochiae seu Theopolis, duobus tantum coenobiis exceptis, eidem opinioni ac illos addictos esse: quod esse mendacium et meram calumniam demonstrat epistula quae a praedictis sanctis Iacobo et Theodoro scripta est, cum propria subscriptione eorum, ad ipsum beatum patriarcham nostrum Mar Paulum.

* p. 167

[1] Cf. supra, p. 106.

Didicimus etiam quosdam eorum librum circumferre qui non habet inscriptionem, qui specie quidem adversus doctrinam Sabellii agit, sed revera haeresim pluralitatis deorum et pluralitatis substantiarum studet erigere; quem librum etiam in syriacam dialectum vertere parati erant, nisi providentia Dei et sancti Mar Iacobi eorum propositum impeditum esset. Idcirco, cum haec audivissemus a multis viris * fidelibus, accepimus etiam scripta cum subscriptionibus Iacobi et Theodori, venerabilium episcoporum, quae monebant nos omnimodo caveremus nobis a fautoribus huiusmodi haeresis, neque diceremus eis « Avete », donec legitime anathematizavissent, sicut et fautores aliarum haeresium. Rursum, et Constantinopoli accepimus scripta venerabilium episcoporum nostrorum qui illic sunt, dominorum nostrorum Iohannis, Eunomii, Stephani, Longini, Elisaei, Ptolomaei, per castos monachos sacri monasterii sancti Zachaei et Cyrum [1] Callinicenses, quae eadem nobis praescribebant. Idcirco rursum nobis visum est ut conveniremus in hoc coenobium sanctum, eius qui cum sanctis est, Mar Bassi, et, favente Deo, amplius de his consilium haberemus.

* p. 168.

Auxilio itaque ipsius sanctae et consubstantialis Trinitatis congregati sumus, mense kanūn posteriore, die tertia, anno sexcentesimo decimo sexto [2], secundum aeram Theopolis [3], indictione prima; et communiter audivimus epistulas praedictorum sanctorum episcoporum nostrorum; rursum autem et blasphemias audivimus quae sunt in hoc libro lamentationibus [4] digno et misere scripto. De dictis quidem epistulis sanctorum patrum nostrorum Deum Universi laudavimus; ad lectionem vero basphemiarum huius libri odibilis et abominandi aures nostras obturavimus, cum sit quid paganum, et tota virtute nostra omnes unanimiter facies nostras avertimus. Nobis autem id placuit, sicut ipse Deus trinus testatur, ut prorsus nemo eorum reciperetur in communionem nostram, sive in oratione, sive in cibo, nisi prius confessus fuerit se recipere omnia scripta sanctorum patrum nostrorum, * et maxime tractatum eius qui cum sanctis *est*, papae Theodosii, quem apostolice scripsit adver-

* p. 169.

[1] Videtur esse nomen viri non monasterii. — [2] In cod. « decimo nono »; vide emendationes. — [3] I. e. 3 ian. 569. — [4] Vide emendationes.

sus hanc haeresim tritheitarum et pluralitatis substantiarum, et adversus eos qui dicunt ipsam sanctam Trinitatem per unam e suis hypostasibus incarnatam esse; et anathematizaverit eos qui, sive in scriptis sive sine scriptis, illum *tractatum* aut aliquam eius partem redarguerunt aut redarguunt quocumque 5 modo aut quacumque arte, et, una vice summatim, eos qui qualitercunque adulterant doctrinam in tractatu perfecte traditam, et dicunt aut tres deos aut tres divinitates aut tres substantias, aut tres naturas, aut tres quosdam deos, aut tres quasdam divinitates, aut tres quasdam substantias, aut tres 10 quasdam naturas, aut prorsus pluralitatem deorum, divinitatum, substantiarum, naturarum profitentur in Trinitate sancta; necnon et asseclas Sabellii qui unam hypostasim et πρόσωπον Trinitatem praedicant; et eos qui dicunt Trinitatem sanctam per unam e suis hypostasibus incarnatam esse, et non profiten- 15 tur potius unam esse deitatem et substantiam et naturam sanctae Trinitatis, et unum Deum qui in trinitate hypostasium et personarum adoratur et glorificatur. Qui enim ita non sentiunt nos etiam anathemati canonico eos subicimus.

Id autem etiam sancitum est inter nos: ut unusquisque 20 nostrum diligenter aprocrisiariis suis mandaret ut, quacumque civitate vel regione exstarent, haec sedulo custodirent, et non imprudenter communicarent aut societatem inirent cum huiusmodi *viris*, non solum ob eorum haeresim detestabilem et impuram, sed quia etiam unionem catholicam ecclesiae sanctae 25 Dei impediunt, dum incrementa zizaniorum et schismatum nobis * p. 170. * procurant. Etenim, etiam si quidam eorum, cum valde diligunt mendacium, in hypocrisi dicunt se velle unionem, tamen operibus redarguuntur. Quomodo enim priorem divisionem resarcire vellent qui lacerationes alias et scissiones graviores, 30 scriptis et sine scriptis, in corpore ecclesiae sanctae operantur; immo, nec in eis quibus assentimur, nos quietos esse sinunt, sed calumniis adversus Deum, et adversus nos, et adversus saepius dictum sanctum patriarcham nostrum Paulum, uti non desinunt? 35

Huic itaque declarationi, quae inter nos facta est, necesse existimavimus unumquemque nostrum subscribere ad maiorem fidem faciendam omnibus fidelibus sive remotis sive propinquis.

Subscriptiones:

Mares, presbyter et archimandrita monasterii beati Mar Bassi, accipio quidquid supra scriptum est.

Zenobius, archimandrita monasterii Beth Mar Bizi, accipio 5 quidquid supra scriptum est.

Constantinus, archimandrita Beth Mar Eusebii, Barthae; ita.

Abraham, archim. monasterii Legīnē; ita, eodem modo.

Iohannes, archim. monasterii Arabum; ita.

Andreas, archim. monasterii Comitis Manassis; ita.

10 Georgius, archim. Beth Mar Iohannis, in Nērab; ita.

Ḥanina, archim. claustri in Bītabō; ita.

Sergius, archim. monasterii Beth Mar Antiochi; ita.

* p. 171. * Paulus, archim. Beth Mar Iohannis, in Beth Zagaba; ita.

Zenobius, archim. Beth Mar Eustathii, in Adāīk; ita.

15 Šeliḥa, archimandrita Beth Mar Rabbulae; ita.

Gainas, archim. monasterii Kephar Šelāē; ita.

Zosimus, archim. Beth Mar Eustathii; ita.

Nonnus, archim. monasterii Ḥezaz; ita.

Simeon, archim. monasterii Šanīb; ita

20 Cozmas, archim. Beth Melōṭā; ita.

Ḥanina, archim. Beth Mar Davidis; ita.

Dionysius, archim. Beth Mar Georgii; ita.

Paulus, archim. Beth Mar Nonni; ita.

Sergius, archim. Beth Mar Ḥabšabba; ita.

25 Agathus, archim. Beth Mar Danielis; ita.

Cyrius, monasterii Beth Mar Barḥabšabba; ita.

Barḥabšabba, monasterii Beth Mar Iohannis; ita.

Iohannes, monasterii Beth Šindalaīā; ita.

Stephanus, monasterii Beth Phaṭiš; ita.

30 Simeon, monasterii Beth Mar Herodis; ita.

Thomas, monasterii Mar Ḥabībī; ita.

Iohannes, monasterii Beth Mar Eusebii, in Beth Hōragē; ita.

Sergius, (archim.) Beth Guda; ita.

Sergius, (archim.) Istumak; ita.

35 Ḥabšabba, (archim.) Arrae; ita.

Leontius, reclusus; ita.

Ḥabšabba, (archim.) Seʿā; ita.

Cozmas, presbyter eiusdem pagi; ita.

Sergius, (archim.) Kephar Menī[1]; ita.
Iohannes, (archim.) Beth Mar Davidis, in Qennešrīn; ita.
* p. 172. * Iohannes, (archim.) Kephar Babilia; ita.
Simeon, (archim.) Libzenū; ita.
Stephanus, stylita, in Tocad; ita. 5
Simeon, stylita, in Arḥab; ita.
David, reclusus, Seḥarthae; ita.
Romanus, presbyter, Seḥarthae; ita.
Georgius, reclusus, Der'aman; ita.
Poemen, (archim.) Beth Mar Libanii; ita. 10
Iohannes, (archim.) Tell'ocabrīn[2]; ita.
Stephanus, (archim.) Beth Mar Cyrici, in Amis; ita.
Besbus, reclusus, in Kephar Karmē[3]; ita.
Simeon, Beth Ṣaiārā[4]; ita.
Isaac, Beth Mar Palladii; ita. 15
Cyricus, monasterii Litarborum; ita.
Cosmara, Kephar Nuran; ita.
Stephanus, Sarmadae; ita.
Paulus, stylita Ḥamilae[5]; ita.
Cyricus, Kephar Zeratīn; ita. 20
Georgius, Aṭma; ita.
Lazarus, presbyter, ita.
Simeon, Beth Mar Cassiani, in Ḥarran[6].
Qui sunt universi numero octo et quinquaginta.

Explicit. 25

EORUMDEM ARCHIMANDRITARUM ORIENTIS AD MAR IACOBUM EPISCOPUM.

Domino nostro sanctissimo et beato patri patrum Mār Iacobo
* p. 173. archiepiscopo: Mares, monasterii Beth * Mar Bassi; Zenobius, monasterii Beth Mar Bizi; Constantinus, monasterii Barthae, 30 et ceteri archimandritae.

Zelum ardentem et sudores apostolicos quae acquisivit beatitudo vestra pro fide immaculata Christi Dei nostri, in toto orbe fulgere, novimus, o sancti! Sed neque, domini, vos fuget, opina-

[1] Supra, p. 114 « Menīn ». — [2] I. e. « Collis murium ». — [3] I. e. « vicus vinearum » — [4] I. e. « domus pictoris ». — [5] I. e. « coacervatio ». — [6] Vicus in regione Halebensi.

mur, quod ipsa parvitas nostra, etsi in ceteris homines pravi sumus, servet hunc zelum vestrum pro spe nostra eiusdem fidei rectae et pro doctrinis paternis, quemadmodum ab ipsis gestis nostris persuasum habuistis in multis congregationibus,
5 nec quod parati simus omnia pati ne amoveatur unus versus e definitionibus quas tradiderunt nobis divi patres, Severus, nempe, et Anthimus et Theodosius, qui cum sanctis sunt, et qui his similes sunt. Optime enim didicimus « non mutare terminos ab aeterno quos posuerunt patres nostri[1] », quos etiam pater-
10 nitas vestra non solum servat et vindicat, sed et nos, filios suos, sine intermissione monet ut teneamus, quasi anchoram firmam et solidam.

Cum igitur servamus admonitiones et doctrinas vestrae sanctitatis: omnia quae a sanctis patribus nostris facta sunt, sive
15 operationes, sive ordinationes, sive constitutiones, sive verba, sive epistulas, sive doctrinas, sive directiones, sive dogmata, seu, ut brevius dicamus, quaecumque ab eis aut * de eorum * p. 174. mandato, ut dictum est, facta sunt, omnia vera et immutabilia et illaesa tenuinus et tenemus. Legitime enim omnino et cano-
20 nice, et prout placet Deo, posuerunt leges: nam Christus adfuit qui loqueretur in eis, ad instar divini apostoli[2]. Eis cum adhaeremus nos humiles, tota virtute nostra avertimus faciem nostram, et anathematizamus omnes haeresiarchas et inventores malorum, et synodum scelestam Chalcedonensem, et quae in ea
25 illegitime acta sunt, et Tomum blasphematorium Leonis ipsumque Leonem; et eos qui ausi sunt dividere unum Dominum nostrum Iesum Christum in dualitatem naturarum; et quamcumque aliam haeresim quae adversatur doctrinae catholicae et apostolicae patrum nostrorum sanctorum; necnon haeresim,
30 quae nunc orta est ob peccata nostra, pluralitatis deorum et pluralitatis substantiarum; et *haeresim* eorum qui dicunt Trinitatem incarnatam esse per unam e suis hypostasibus. Has enim dicti patres nostri sancti excommunicarunt et anathematizarunt, et ex duabus naturis unam esse naturam incarnatam
35 Dei Verbi religiose professi sunt; et unam deitatem et substantiam et naturam in tribus hypostasibus sanctam et consubstantialem Trinitatem apostolice docuerunt; non autem tres

[1] Cf. *Prov.*, XXII, 28. — [2] Cf. II *Cor.*, XIII, 3.

substantias, aut tres quasdam substantias, nec tres naturas, aut tres quasdam naturas, nec tres deos aut tres quosdam deos, nec absolute deitates, substantias aut naturas, numero definito aut indefinito, ipsam sanctam Trinitatem toto vitae eorum sanctae decursu ipsi docuisse visi sunt, nec nos ita sentimus 5 aut sentiemus.

Obtestamur, coram Deo et angelis eius electis, caelum et * p. 175. terram: qui * secus ac doctrinas istas religiosas nostrorum patrum sanctorum ausus erit sentire, loqui, docere, recipere, aut subvertere quidquam ex illis quae optime ab eis proposita 10 sunt, huiusmodi virum in communione nunquam recipiemus; sed cum ab eo sciscitati fuerimus, nosmet aemulabimur et perseverabimus quales sumus, et firmiter supra ipsam petram, Christum, stabimus, nunquam commovendi, favente Deo, ventis malitiae; et etiam si mors, si pericula, si persecutio gravis 15 nobis obveniant: omnia cum voluptate et gaudio recipimus et recipiemus, nec timebimus « eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere », iuxta praeceptum a Deo dictum. [1]

Videte igitur, domini, quid vobis faciendum, ne permittatis, in vita vestra, ea quae optime condita sunt a patribus nostris 20 sanctis violari, sed potius confirmari; quae vos optime custodistis et custodietis, favente Deo.

Memores estis omnino, o venerabiles, fraude aut potius coactione et vi, Callinici chartam evulgatam fuisse: utinam nunquam *vulgata fuerit*! quippe quod doctrinae a traditione 25 apostolica theophororum patrum nostrorum omnino alienae in ea erant; quodque non anathemate plectebat pessimam synodum chalcedonensem, neque Tomum Leonis, neque eos qui in duas naturas dividunt Christum Deum nostrum; sed otioso pede omnia transiluit et tantum, quasi ad simpliciores 30 decipiendos, nomen patriarchae nostri, qui cum sanctis *est*, Severi, continebat, at tacebat eius doctrinas divinitus edictas. * p. 176. Cum illa lecta esset toti congregationi quae tunc ibi * e variis provinciis erat congregata, non toleraverunt auribus suis talia percipere, et zelo accensi, sicut divinus Elias, pro Domino omni- 35 potenti, illam lacerarunt: quod aliquid a legitima directione

[1] MATTH., x, 28.

sanctorum patrum nostrorum alienum contineret; neque huic chartae ullo modo consensit coetus fidelis. Num vero postea a quibusdam data fuerit charta altera, eadem continens ac illa quae lacerata est, aut diversa, prorsus ignoramus; sed nomine 5 nostro aut cum approbatione nostra huiusmodi charta data non [1] est, quemadmodum etiam vos testamini. Non enim volebant congregationes fideles aliam fieri aut esse legislationem praeter illam iam antea a sanctis patribus nostris constitutam.

Haec vobis notificare, sancti patres, ursit nos rumor quidam 10 qui ad auditum nostrum ex urbe regia venit, scilicet quosdam, ex eis qui putantur nostri esse, quaerere ut vos et venerabilem Mar Theodorum *illuc* adscendere faciant, praetextu quidem unionis, quam praedicant futuram, sed revera quod cupiunt ut adhaereatis fidei in memorata charta propositae; et sic per 15 vos scopum sibi intentum attingant. Optime itaque agetis, venerabiles patres, sicut vobis antehac et ab initio agendi mos est, si nunc etiam vosmet custoditis, post Deum, et non qualicumque modo vosmetipsos traditis, si sane nullam fiduciam [2] habeat sanctitas vestra in compositione huiusmodi chartae. 20 Si fortasse fiduciam habeat, — quod non existimamus: adversatur enim, ut iam saepius dictum est, doctrinae sanctorum patrum nostrorum, — et vosmetipsos dedatis * confirmationi * p. 177. chartae: ad quantam divisionem et inimicitiam spectet finis, licet vobis considerare, cum sitis doctores Dei.

25 Exemplar autem harum nostrarum epistularum, quasi ad confirmationem eorum quae a nobis scripta sunt, sumpsimus.

Rogamus autem vos ut commemorationem faciatis parvitatis nostrae in orationibus vestris Deo gratis.

Explicit.

30 RURSUM, EPISTULA VENERABILIS ET BEATI PAULI, PATRIARCHAE ANTIOCHIAE, AD MAR IACOBUM ET MAR THEODORUM, EPISCOPOS.

Dominis meis venerabilissimis et piissimis, fratribus spiritalibus, Iacobo et Theodoro, auxilio Dei episcopis: Paulus.

Quae quocumque modo nobis eveniunt, sive ad perturbatio- 35 nem, sive ad pacem spectent ecclesiae sanctae Dei quae apud

[1] Vide corr.; negatio exstat in codice. — [2] πεῖσις.

nos, sanctae paternitati vestrae non manifestare, — ut illam quidem communi consilio quantum possumus reprimamus, hanc vero, auxiliante Deo, augeamus et confirmemus, — perfidiam et tristitiam optime existimo.

Quapropter nunc notum vobis facio quomodo homines, ex eis qui non timent Dominum et nesciunt quale periculum immineat eis qui mendacium diligunt scandalizantque unum e parvulis in Christum credentibus, ausi sint sine scriptis et in scriptis nobis illudere. Partim falsas accusationes sibi composuerunt, partim * aliis suaserunt proferre. Has autem, ut didici, non temere adversus parvitatem meam machinati sunt, sed propter fidem orthodoxam, quia averto faciem meam ab eorum athea multiplicitate substantiarum et deorum; nam adhaero in hoc ei qui cum sanctis *est*, confessori papae Theodosio, quod idem est ac dicere theophoris Severo et Anthimo, et omnibus sanctis mysteriorum veritatis peritis. Sed quod magis mirandum est et omnis blasphemiae plenum, contendunt sanctitatem vestram cum ipsis numerari et eorum tenere opinionem in eis quae ita illegitime aguntur; dicentes: quod non tantum recipitis ea quae inepte adversus me ipsi machinantur, sed etiam ipsis fiduciam habetis. Nihil tale a sanctitate vestra actum esse, sed eos ad stabiliendam, ut putant, suam agendi rationem illegitimam, tentare ut fidem captent personae vestrae honoratae, certum mihi est et persuasum habeo; nec ego ullo testimonio indigeo. Sed quia non pauci e fratribus simplicioribus perturbantur eorum mendacio, dum putant vos revera ita sentire, quemadmodum illi audacter calumniantur, et quia inde etiam venenum suae haeresis astute in animis eorum qui ipsis fiduciam praebent iniciunt: suadeo vobis, venerabilibus, ut solliciti de pulcro statu fidelium, aperte per scripta ostendatis quae mens sit vobis, auxiliante Deo, quoad Tractatum paullo antea * compositum a memorato beato papa Theodosio adversus hanc pessimam confessionem tritheismi seu polytheismi, et quoad parvitatem meam. Ita enim et pulcritudo fidei vestrae, ut solet, fulgebit, et sollicitudo de salute fratum optime fiet, et calumniae nobis vobisquê impositae redarguentur. Cum autem dederit Deus opportunitatem non permittam, etiam si volunt adversarii, ut quiescant; sed quae de me, de vobis aut de personis

aliis sunt dicta aut dicenda, paratus sum examini submittere ut ad conclusionem canonicam deducantur. Prorsus nolo ut impugnetur[1] sanctitas vestra.

Unitas in Trinitate sancta, id est Deus noster, maxime proroget tempus vitae vestrae pulcrae, per orationes sanctorum. Amen.

Subscriptio: Valentes in Domino nostro, perficite, sanctissimi.

Explicit.

Epistula venerabilium Mar Iacobi et Mar Theodori, episcoporum, ad eumdem venerabilem Mar Paulum, patriarcham Antiochiae.

Domino nostro sancto et beato, patri nostro spiritali, archiepiscopo, patriarchae Mar Paulo, Iacobus et Theodorus, humiles: in Domino nostro salutem.

Scripta pretiosa vestra accepimus, et eorum lectione cognovimus haec scripta varios angores qui vobis acciderunt acerbe clamare. * Idcirco suademus vos[2] vobismet moderari nec aliquid peregrinum haec reputare. Scitis enim, o sanctissimi, etiam patres qui ante vos floruerunt, his graviora calumniose passos esse: et tamen fortiter et philanthropice ea sustinuerunt. « Fidelis autem est Deus, qui non permittet ut tentaremini magis quam potestis: sed parabit cum tentatione etiam proventum ut possitis sustinere[3].» Nos autem, non solum vos, sed etiam omnia quae facta sunt ab eo qui inter sanctos *est*, papa et martyre Dei, Theodosio, sive doctrinas, sive canones, sive ordinationes, sive directiones, recepimus et recipiemus et firma existimamus, quemadmodum etiam ea quae facta sunt a patribus nostris, inde ab Athanasio usque ad sanctum Severum. Et qui tales non sunt alienos a nobis definimus.

Miramur autem quomodo, cum nos omnino vestri sumus, ausi sint quidam de nobis dicere quod eis consensimus aut consentimus quae adversus vos blaterant nonnulli. Aliquando enim etiam congruenter obturavimus os nonnullorum qui coram nobis adversus vos loquebantur, ut plures fratrum nostrorum sciunt. Oramus autem ut, precibus praedictorum sanctorum et

[1] Sic vertendum suadet contextus. — [2] Plurale dignitatis, per totam epistulam. — [3] I *Cor.*, x, 13.

eorum qui eis similes sunt, vos et nos hic et in mundo futuro liberaremur.

Exemplar subscriptionis: Valentes in Domino, perficite, o sanctissimi.

Explicit. 5

* p. 181. * EXEMPLAR EPISTULAE ARCHIMANDRITARUM ORIENTIS, AD EPISCOPOS ORTHODOXOS, SACERDOTES ET DIACONOS QUI CONSTANTINOPOLI DEGUNT.

Dominis nostris, sanctissimis et in Deo confisis, Iohanni, Cononi, Eugenio, Eunomio, Iuliano, Stephano, Elisaeo, Ptolo- 10 maeo, Longino, episcopis; — et castis Deum diligentibus Athanasio, Photino, Basilio, Eusebio, Phocae, Abui, Iohanni, Sergio, Cononi, ceterisque sacerdotibus; — et Iohanni, Zenobio, Thomae, ceterisque diaconis, — et reliquis fidelibus qui in Domino diriguntur, fratribus nostris, ex archimandritis Orientis: 15

Ego, Eusebius, presbyter et archimandrita sancti monasterii beati Mar Bassi;

Ḥabšabba, archimandrita magni monasterii Teledae.

Zenobius, archim. monasterii sancti Mar Bizi.

Iohannes, archim. monasterii beati defuncti Mar[1] Romani. 20

Constantinus, archim. monasterii beati Mar Eusebii, in pago Bartha.

Thomas, archim. monasterii Mar Sergii τῶν Naphšata;

Barlaha, archim. sancti monasterii Beth Aphthonii;

Abraham, archim. monasterii Legīnē; 25

Antiochus, archim. monasterii Arabum;

Andreas, archim. monasterii Comitis Manassis;

Ḥanina, archim. monasterii in claustro pagi Bītabō;

* p. 182. * Georgius, archim. monasterii Beth Mar Iohannis, in Nerab; 30

Sergius, archim. Beth Mar Antiochi;

Paulus, archim. Beth Mar Iohannis, in Beth Zagaba;

Agathus, archim. sancti monasterii Beth Mar Danielis;

Elias, archim. sancti monasterii Pha'nōr;

Thomas, archim. monasterii Beth Mar Cyrici, in Tur'ai;

Daniel, archim. monasterii Dīlbīn; 35

[1] Vide correctiones.

Iohannes, presbyter Tetracomiae in Salamia,

Gainas[1], archim. monasterii Kephar Šelāē;

Iohannes, archim. Beth Mar Ḥaninae;

et ceteri archimandritae Orientis.

5 Deus pacis, qui in evangeliis dixit suis discipulis, et per eos omnibus qui in eorum vestigia gradiuntur: « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis »[2], ipse concessit nobis huiusmodi pacem usque nunc; concedet autem et usque ad consummationem, per constitutionem sapientem et curam pas- 10 toralem eorum, qui ad Deum migrarunt, beatorum et venerabilium patriarcharum nostrorum Severi, Anthimi, Theodosii, Sergii. Pacem autem nihilo minorem etiam concessit nobis per laborem et sollicitudinem vigilantem vereque divinam venerabilis et beati patris nostri, primi inter episcopos, Mar Iacobi, 15 cuius vita ut protrahatur in longa tempora deprecari vobiscum Dominum Deum non cessamus. Hunc, cum pervineret in loca nostra et pacem vestram, quam optabamus, daret nobis, tanquam angelum Dei excepimus, tanquam Christum Iesum, ut * sicut * p. 183. Paulus loquamur[3]. Nihil enim est in mundo magis optandum, 20 aut in nostris votis, quam audiamus incolumitatem vestram in Domino nostro, in uno corpore, Christo, deduci, in una fide refulgere, et proficere de die in diem. Et in adventu quidem patris nostri communis congruenter festum egit universa ecclesia quae apud nos est. Tristitia tamen gaudium excepit, 25 non qualiscunque. Huius autem tristitiae id causa est quod audivimus, nempe litem quamdam exortam esse ibi, propter ea quae legitime facta sunt ab eo qui cum sanctis est, beato papa nostro, in ordinatione venerabilis Pauli patriarchae; quem cum moveretur auxilio Spiritus sancti creavit, ut credi- 30 mus, cui etiam antea testimonium dedit viva voce, et in scriptis et sine scriptis, de pura vita et orthodoxa fide, quemadmodum nec vos latet, qui omnimode legistis scripta synodica quae transmissa sunt, secundum leges ecclesiasticas, inter praedictos venerabiles patriarchas. Hoc autem testimonium, cum fir- 35 miter possideamus, decet nos, venerabiles, illud sicut anchoram firmam tenere, nihil consentientes commoveri aut in iudicium

[1] P. 114, l. 22: « Gennadius ». — [2] Ioh., xiv, 27. — [3] *Gal.*, iv, 14.

vel disquisitionem deduci ex iis quae a praedicto sancto papa nostro et patriarcha oecumenico facta sunt. Si enim, sicut scriptum est [1], « labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ab eo requirunt, quia angelus est Domini omnipotentis »; et sicut dixit, ille qui cum sanctis est, Severus « vox et sententia 5 pontificis lex est Spiritus sancti, repleta virtute », imprudentia est discutere aut anathematizare quidquam ex eis quae a pon- * p. 184. tificibus orthodoxis * facta sunt. Ne, suademus et rogamus, venerabiles patres et fratres, ne daremus in nos causam Calumniatori, inimico generis nostri, eisque qui res nostras sollicite 10 discutiunt, non ut animum addent [2] sed ut probro afficient. Potius autem audiamus divinum Paulum dicentem [3]: « Coetus in me quotidiani, sollicitudo mea omnium ecclesiarum. Quis infirmatur et non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?» Haec autem persuasum habemus vos quoque, sive verbo sive 15 opere, sine intermissione clamare. Idcirco et hac epistula uti non dubitavimus, ut per eam opinionem nostram manifestaremus circa dictam ordinationem iam commemorati Pauli venerabilis patriarchae nostri. Igitur, ad fidem vobis faciendam, subscriptionibus nostris signavimus, postulantes orationes vestras 20 assiduas et Deo acceptas.

Subscriptiones:

Eusebius, per misericordias Dei, presbyter et archimandrita monasterii sancti et beati Mar Bassi, legi quae antea scripta sunt, et placuerunt mihi, et adhaesi eis et subscripsi. 25

Ḥabšabba, presbyter et archimandrita monasterii Teledae, legi etc. (*iisdem verbis*).

Iohannes, per misericordias Dei presbyter et archimandrita beati Mar Romani, legi etc.

Constantinus, per misericordias Dei presbyter et archiman- 30 * p. 185. drita Beth Mar Eusebii, in Kaphra Barthae, legi quae * antea etc.

Ita et reliqui archimandritae subscripserunt.

Explicit.

[1] MALACH., II, 7. — [2] Vide correctiones. — [3] II *Cor.*, XI, 28.

EXEMPLAR EPISTULAE QUAE SCRIPTA EST A SANCTO MAR IACOBO AD SANCTOS CONONEM ET EUGENIUM.

Recte scripsit sanctitas vestra, esse lacrimarum et lamentationum digna quae apud nos hoc tempore acciderunt; et peccata 5 quidem nostra exacerbare Deum evidens est; eos autem qui nobis causa fuerunt horum malorum non vitaturos iudicium dixit Dominus noster. « Necesse est ut eveniant scandala: vae autem ei per quem venient scandala [1]». Ego itaque, etsi non sum dignus, deprecor Dominum nostrum Iesum ut parcat pauper- 10 tati nostrae et det prudentiam vobis et eis qui insurgunt adversus vos, ut in caritate, etiam si nunc tardius, concordes sitis et finem imponatis opprobrio quod propter vos patimur. Etiam si enim inimicos nostros diligere iussi sumus, et pro eis qui nos laedunt orare, quae nobis excusatio erit qui cum nostris pu- 15 gnamus? Quia sane videmus unumquemque vestrum omnia in proprium sensum trahere [2], dum sollicitus est vincere victoriam malam, nunquam voluissem ad vos scribere. Ne autem longo silentio tristitiam magnam vobis causarem his scriptis brevibus utor. Rogo pacem vestram [3] * in Domino nostro, et * p. 186. 20 deprecor [4] per misericordias Dei: parcete eius ecclesiae, et meae senectuti et vobismetipsis. Et si non est possibile ut cum adversariis vestris in caritate unionem faciatis: exite uterque inde, et venite in loca ad quae vocati estis. Et cum veneritis poterimus communiter, auxiliante Deo, res perpendere [5], et mul- 25 tum speramus fore ut Dominus noster quietem imponat mari [6] quod nos invasit, et cessare faciat scandala, propter misericordiam suam. Si autem id facere non annuitis, multa amara accident nobis et rursum augebuntur mala: quis autem rationem reddet pro eis, non vos latet. Decet igitur vos persuasum 30 habere nihil eorum quae facta sunt ab eo qui cum sanctis est, patre nostro papa Theodosio, mutari aut infirmari posse quocumque modo, praeter ordinem [7] canonum. Quod autem etiam propter sanctitatem vestram ubique valde moveatur sermo, tum Alexandriae tum in aliis locis, quando perveneritis discetis.

[1] MATTH., XVIII, 7. — [2] Ad verbum, ni fallor, « rem quamcumque vicariam facit suarum cogitationum ». — [3] I. e. « saluto vos ». — [4] Vide correct. — [5] Textus corruptus videtur; ms. « dicantur » (fem. plur.). — [6] Ad litt. « abyssus ». — [7] ἀκολουθία.

Quod si non impedivissem eos qui studiose perscrutantur negotia vestra, fortasse silentio premerentur et non commemorarentur nomina vestra in ministerio divino.

Salutate ex parte mea omnes qui sunt apud vos, pacem nostram dantes singulis nominatim, et orate Dominum nostrum ut 5 res nostras pacificat propter magnam suam misericordiam.

Explicit.

* p. 187. * EIUSDEM SANCTI MAR IACOBI AD VENERABILES EPISCOPOS IOHANNEM, EUNOMIUM, STEPHANUM, LONGINUM, ET QUI CUM EIS.

Initio epistulae meae, fratres mei, rogo pacem vestram in Do- 10 mino, et notum facio mihi necesse, hoc tempore, Ieremiam prophetam commemorare, eiusque lamentationes in ore meo ponere, quibus ipse lamentabatur super populum et Ierusalem, qui captivi abducti sunt Babylonem. Si enim ipse captivitate corporali affligebatur, quantum deceat nos flere et plorare 15 divisiones et mutuas scissiones diebus nostris exortas! Deum testem mihi appello: non quod fuerit mihi erga quemquam vestrum vituperium aut moestitia, ad vos elapso tempore non scripsi; absit! Sed magna et multiplici tristitia consumptus sum, et dissolutae sunt mens mea et cogitationes 20 meae, et sine intermissione dilaceravi cor meum ob vexationes ecclesiae Dei. Talia mala et semina amara studet Malignus diffundere ut dividat eius membra eiusque filios ad pugnam concitet unum adversus alterum, ut fiant opprobrio et derisioni inimicis eorum. Igitur, venerabiles fratres mei, si filii 25 Israel lamentati sunt super tribum Beniamin quae cecidit gladio [1], quanto magis debemus nos christiani clamare ad Deum tota anima nostra, et toto corde nostro, et tota mente nostra, ne unum perire sinat, aut quantumcumque offendere, ex his qui orthodoxi sunt. Deprecor igitur caritatem vestram 30 * p. 188. veram: vincat bono malum [2]. * Dictum est enim ab aliquo ex patribus: « Non potest vinci malum nisi bono ». Id etiam nobis verum est: malum malo non expellitur. Et rursum suadeo vobis: si quaedam pusillanimitas aut passio sit inter vos et asseclas Mar Eugenii condonate vobis invicem, et dimittite, 35 propter Dominum nostrum. Si autem verum sit eos in haere-

[1] Cf. *Iud.*, XXI. — [2] Cf. *Rom.*, XII, 21.

sim incidisse et si consentiunt eam reicere, unionem facite cum eis, ne sit novum schisma diebus nostris.

Sciat autem sanctitas vestra, nos, quod recepimus et didicimus ab eo qui cum sanctis *est*, papa Theodosio, doctrinas, 5 canones, ordinationes, ut uno verbo dicamus: quidquid reliquit nobis, id firmum habere et recipere, quasi id sit patrum et doctorum ecclesiae qui eum antecesserunt; recipimus autem et pariter firmum habemus divinum experimentum quod locum habuit in institutione sancti et beati collegae nostri Pauli pa- 10 triarchae. Et avertimus faciem nostram, tota virtute nostra, ab haeresi Tritheitarum, seu trium substantiarum fautorum, quemadmodum et a ceteris haeresibus, quae variis temporibus molestaverunt et exagitaverunt sanctam Dei ecclesiam.

Salutate e nostra parte in Domino omnes fratres nostros 15 fideles: Mar Iohannem chartularium, inquam, Mar Andream sacellarium, Mar Isaacum scholasticum, Mar Eudemonem expraefectum [1], Mar Iohannem generum dominae meae Antipatrae, et ornatissimam dominam meam Antipatram, et dominam meam Iulianam, et dominam meam Mariam praefectam [2], 20 cum omnibus, quos in Domino vos et illos decet. Qui mecum sunt, Zacharias * et Sergius, vere vos salutant in Domino, et * p. 189. gloriosum Mar Iohannem de Beth Maita.

EPISTULA SCRIPTA AB EPISCOPIS ORTHODOXIS QUI ERANT IN ORIENTE [3], AD EPISCOPOS ORTHODOXOS CONSTANTINOPOLI DEGENTES.

25 Dominis nostris, venerabilissimis et Deum diligentibus fratribus, qui degunt in urbe regia, Theodoro, Iohanni, Stephano, Ptolomaeo, Elisaeo et Paulo: Iacobus, Iohannes, Iohannes, Sergius et Iohannes, humiles.

Qui oculum perspicacem animae per praxim philosophiae 30 mundarunt et gregi rationali Christi in directione pastorali invigilant, patres nostri sancti, quamcumque bestiam malam fel proicientem doctrinarum corruptionem producentium et haereticarum, omni vigilantia ab eo averterunt, eumque ab insidiis latronum huiusmodi illaesum servaverunt. Aedificabant 35 enim de die in diem super fundamentum ecclesiae, ad instar

[1] ἀπέπαρχος. — [2] ἐπάρχισσα. — [3] Vide correctiones.

divini Apostoli [1]: non ligna, non foenum, non spitulam, quae sunt corruptrices doctrinae haereticorum, et igne inextinguibili digna sunt, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, sensus *nempe* et doctrinas gloriosas lucidasque veritatis, quae totum orbem sub caelo per radios luminosos illustrant. Tales fuerunt rectores et doctores divini ecclesiae sanctae Dei, Athanasius, Basilius, Gregorii [2], Cyrillus, et eorum similes, * usque ad beatum Severum. Columnae enim et fundamenta, post divinos Apostolos, ecclesae Dei fuerunt: unum Deum seu unam divinitatem, et substantiam et naturam, in tribus hypostasibus inconfusis et personis adorare et glorificare nos pulchre erudiverunt. Recte etiam et irreprehensibiliter quae spectant ad incarnationem et inhumanationem unius ex ipsa Trinitate sancta, Dei Verbi, tradiderunt et docuerunt. Eorum fidem, una et certamina pro veritate, simul atque summum sacerdotium accepit, qui cum sanctis *est*, pater noster Theodosius qui fuit episcopus ecclesiae civitatis magnae Alexandrinorum; qui distinctionem et divisionem, quae numero essentiarum, naturarum, deorum, deitatum in sancta et consubstantiali Trinitate, sicut morbus perniciosus, animas simplicium corruptura erat, constrinxit. Quod enim in corporibus operatur morbus ab ira divina immissus, id ipsum facit haeresis in animabus a veritate aberrantibus. Hunc itaque morbum cum vellet Deus ab animabus hominum amovere, praedictum venerabilem patrem nostrum suscitavit, ei concedens verbum in eloquentia quo redargueret errorem haereseos; et, ea quidem ab omni suo tegumento denudata, demonstravit id esse foetum polytheismi paganorum, quod absolute pluralitatem substantiarum aut naturarum profiteamur in sancta Trinitate. Et scopum tractatus rationemque eius scribendi praenotavit in praemissa inscriptione, et dixit: « Quod non deceat numerum substantiarum aut naturarum in sancta Trinitate confiteamur; et quod unus e Trinitate, Deus Verbum, incarnatus est, non autem Pater neque Spiritus sanctus incarnati sunt.» Ad instar civitatis optime legibus instructae, * testimonio patrum sanctorum id corroboravit, ipse beatus et verus veritatis athleta, ad verbum haec proferens: « Haec a nobis dicenda erant ad demonstrandum nos unum Deum in substantia una et natura una, in tribus tamen personis, adorare et glorificare; et nullum numerum, sive definitum sive indefinitum, admittendum esse in deitate seu in substantia et natura sanctae et consubstantialis Trinitatis, sed illum de hypostasibus tantum seu de personis definiendum ». Et postquam multa in medium protulit ad delendum et redarguendum errorem eorum qui in sanctam Trinitatem blasphemant per hunc numerum, ab eis citius introductum, substantiarum, naturarum, deorum, deitatum, argumentum posuit divini Basilii ex epistula ad laudabilissimum Amphilochium. Quemadmodum olim Moyses cum Israelitis loqueretur quid agerent, et rursum cum leges imponeret, caelum et terram testes in eos invocabat, quasi ad confirmationem dicendorum, simili modo iste doctor et legislator ecclesiae Dei quae apud nos *est*, non haec quidem, sed ipsum factorem et creatorem et dominum caeli et terrae, Dominum nostrum Iesum Christum, in nos omnes testem invocabat ad persuasionem et confirmationem dicendorum; ita dicit: « Haec pauca cum audistis e doctrinis multis paternis, confidenter iam obtestamur coram Domino nostro Iesu Christo, ut ab omni numero qualicumque, definito aut indefinito, in substantia seu natura sanctae Trinitatis iam fugiatis, quippe quod nullibi adhibetur a probatis mysteriorum peritis, * sed tantum de personis ab eis inducitur.» Et post pauca: « Nullus igitur numerus admittendus est in substantia divina naturaque; nec rursum pluritas essentiarum introducenda est in unam deitatem in Trinitate indivisibilem. Si autem alicubi invenitur numerus a sanctis patribus enuntiari, hunc de ipsis personis accipere debemus. » [1]

Cum itaque numerus, definitus aut indefinitus, et quaevis pluralitas substantiarum aut naturarum introducenda in sanctam Trinitatem, a beato patre nostro Theodosio reiciatur; cumque, ait, nullus numerus in substantia divina et natura admittendus sit, et incongruum sit, ipso iudice, simpliciter substantias aut naturas de ea praedicari: quae ratio numeri remaneat eis qui substantias aut naturas aut deos aut deitates audent enunciare in sancta Trinitate, dicant doctores vanitatum et impugnatores ecclesiae. Sed non habent quid dicant.

[1] Cf. I *Cor.*, III, 12, 13. — [2] I. e. Nazianzenus et Nyssenus.

[1] Cf. supra, p. 35, 49, 50.

Evidenter igitur qui tales sunt, ad deceptionem simplicium sibi componunt speciem[1], et nomen eius qui cum sanctis est, papae, in ore habent, et tractatum, qui haeresim pluralitatis deorum et pluralitatis substantiarum denudat, simulate dicunt se recipere, re autem vera eius inimici et impugnatores sunt. Et eorum tergiversationibus defatigati, quid necesse ut plura vobis dicamus, fratres nostri?

Nos autem eis qui olim et ab initio constituti sunt a Deo pastores et doctores ecclesiae sanctae adhaeremus, eis, dicimus, qui a Petro, principe turmae divinae apostolorum, usque ad Severum * et Anthimum. Quorum in numero cum nobis sit ter beatus pater noster Theodosius, recipimus quidquid ab eo factum est in ecclesia Dei sancta quae apud nos *est*, aut de eius mandato vel consensu, a prima die eius ordinationis usque ad finem eius vitae, sive in doctrinis, sive in canonibus, sive in ordinationibus, sive in directionibus, sive in quacumque alia re quam videtur fecisse aut recepisse; et non id tantum, sed et subscriptiones factas a piissimis clericis qui degunt in urbe regia, et ab aliis e comitatu eius sancto, adversus eos qui haeresi plurium substantiarum laborant, et adversus haeresim eorum qui dicunt Trinitatem sanctam per unam e suis hypostasibus incarnatam esse, quae datae sunt eius beatitudini, *recipimus*. Id quidem notum et apertum facimus omnibus fratribus nostris qui corpus pretiosum ecclesiae Dei sanctae efformant et Dominum diligunt, nempe, nos gratia Dei, dum bona mente sumus, super petram fidei rectae et immutabilis sanctorum patrum nostrorum firmos stare. Et idcirco, quemadmodum unum Deum et unam deitatem confitemur in tribus hypostasibus seu personis, non vero tres deos aut tres deitates, nec tres quosdam deos aut tres quasdam deitates, sed nec deos aut deitates, nec prorsus deos aut deitates cogitare, dicere aut docere consentimus, nec unquam mutabimur, qui sanguine pretioso Christi Dei nostri liberati sumus; ita, et unam substantiam et naturam Trinitatis sanctae et adorandae in tribus hypostasibus adoramus et glorificamus, non autem tres substantias, nec * tres naturas, nec tres quasdam substantias aut tres quasdam naturas, nec substantias aut naturas, nec prorsus

[1] I. e. hypocrite agunt.

substantias aut naturas in ea confitemur, cum haec sint progenies polytheismi paganorum.

Aliam et aliam esse deitatem, aut substantiam aliam et aliam, aut naturam aliam et aliam de Patre et Filio et Spiritu sancto dicere vel cogitare, non autem unam et eamdem deitatem et substantiam et naturam in tribus hypostasibus confiteri, tanquam aliquid blasphemiae damnamus.

Haec enim sunt spumae huius libri qui misere nunc a quibusdam circumfertur, *libri nempe* vaniloqui[1] et polytheitae Iohannis Grammatici. Quod autem dicenda sit Trinitas sancta incarnatam esse per unam e suis hypostasibus, aut esse unam hypostasim triplici nomine, ad instar Sabellii, qui canonice anathematizatus est ab ecclesia Dei, *hanc sententiam* eidem damnationi subiacimus; et, ut paucis dicamus, omnes qui ad instar eorum cogitant, dicunt aut docent, et per has doctrinas contrarias et haereticas, faecem irae student propinare proximis suis, tanquam fidei rectae et immaculatae impugnatores, — quae olim et ab initio per librum Spiritu inspiratum et per doctrinam sanctorum patrum ecclesiae Dei tradita est, — et eos qui in ipsam Trinitatem sanctam blasphemant, ab ecclesia Dei sancta quae apud nos *est* separamus, et communione sancta ministerioque nostro eis interdicimus. Nos itaque incitamus et hortamur omnes venerabiles fratres nostros, qui communionem nobiscum habere diligunt, ut per subscriptionem suam notum et apertum omnibus qui Dominum amant id faciant, nempe nos unum et idem * omnes sentire, dum alii aliorum opinionis participes sumus, et in eadem via recta et firma simul gradimur. Cum autem id fiet, pax quidem et bona ab ea manantia nobis obvenient: quorum primum et maximum est unio sanctarum Dei ecclesiarum Deo grata, quam procurandam curant misericordes et christophili domini nostri imperatores.

Subscriptiones[2]:

Iacobus, humilis, consentiens, et firmiter tenens omnia proposita in hac epistula definitionis seu apologiae, quae lecta est coram me, et recte se habet estque conformis doctrinae apostolicae sanctorum patrum nostrorum, subscripsi propria manu.

[1] Graece fuit ματαιόπονος. — [2] Subscriptiones sunt tum mittentium tum recipientium epistulam, permixto ordine; eaedem ac infra, p. 142.

Theodorus, humilis: eodem modo.
Iohannes Asiae, humilis: eodem modo.
Iohannes, humilis: eodem modo.
Iohannes, humilis: eodem modo.
Sergius, humilis: eodem modo.
Iohannes, humilis: eod. modo, per venerabilem Mar Sergium.
Stephanus, humilis: eodem modo.
Longinus, humilis: eodem modo.
Ptolomaeus, humilis: eodem modo.
Elisaeus, humilis: eodem modo.
Paulus, *humilis*: eodem modo.

Explicit.

* p. 196. * EPISTULA SCRIPTA AB EPISCOPIS ORTHODOXIS AD ORTHODOXOS VARIARUM PROVINCIARUM.

Venerabilissimis Deum diligentibus patribus et fratribus episcopis, presbyteris, archimandritis, et reliquo ordini religiosorum clericorum, et castis monachis, et congregationibus fidelibus: Iacobus, Theodorus, Iohannes [1], Iohannes [2], Iohannes [3], Sergius [4], Iohannes [5], Stephanus [6], Ptolomaeus [7], Elisaeus [7], Longinus [8], Paulus [9], humiles.

Quia, sicut dixit divinus apostolus [10], fratres nostri honorati, omnes nos unum corpus sumus in Christo, — cum unusquisque nostrum sit membrum aliorum, et quod patitur unum membrum cum eo patiantur omnia membra, nempe propter mutuam cohaesionem eorum qui sibi unum caput, Christum, adscribunt, — necesse duximus ut ad cognitionem vestram perferamus molestias quae hoc praesenti tempore ecclesiae Dei sanctae quae apud nos est acciderunt: fortasse nobis compatiemini, qui passi sumus nonobstante oratione vestra, et cavebitis ab illis qui fortasse « venient ad vos, secundum sententiam Domini in evangeliis, in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces [11] », ne forte, per verba suavia dolumque seducant corda simplicium. Idcirco, fratres nostri, lamentamur et lacrimamus,

[1] Ephesi. — [2] Chalcidis. — [3] Seleuciae Pieriae. — [4] Charrarum. — [5] Saurae. — [6] Cypri. — [7] Ignotae sedis. — [8] Nubiorum. — [9] Aphrodisiadis. — [10] Cf. I *Cor.*, XII, 12 et seq. — [11] MATTH., VII, 15.

et cum dolore clamamus sine intermissione: « Quis dabit capiti nostro aquas et oculis nostris fontes lacrimarum, et plorabimus super nostram contritionem die ac nocte; quia facti sumus opprobrium vicinis nostris, derisio et illusio iis qui circumdant nos [1]. » Ecce enim qui instituti sunt ut praecepta Domini meditarentur et eius legem, doctrinas rectas, recitarent gregi rationali Christi * Dei nostri, has pessime corruperunt, in montes (* p. 197.) et in colles et in loca quae non considerat ille pastor caelestis hunc gregem deducere conantur; se miscuerunt cum eis qui trinitatem deorum introducunt per numerum substantiarum; et simul, quae ad destructionem et condemnationem huiusmodi haeresis, decursu vitae suae a beato patre nostro, archiepiscopo magnae civitatis Alexandrinorum, Theodosio facta sunt, corrumpere student. Multa itaque et per multum tempus *locuti sumus*: iam enim spatium trium annorum elapsum est ex quo viva voce et scriptis monere et invitare coepimus bonum Cononem et Eugenium, — quare ita agant, dicere nostrum non est, — ut eis quae iam optime facta sunt a memorato patre nostro Theodosio in ecclesia Dei sancta quae apud nos est, consentirent et in eis perseverarent, nec vanum rumorem acciperent eorum qui vias rectas Domini obliquas reddere cupiunt. Sed non consideraverunt nec acceperunt deprecationem nostram. Et non nos tantum id fecimus, sed et diligentes Deum archimandritae et praefecti coenobiorum monasteriorumque sanctorum Orientis. Quae enim in urbe regia saepius facta sunt necnon transgressiones ab eis commissae super ea quae scriptis et sine scriptis constituta sunt, et quidem cum subscriptionibus et iuramentis et anathematibus et communionibus, cuique nota sunt, nec existimanus necesse ut hac de re verba multa faciamus.

In fine autem omnium, cum epistulam encyclicam fecissemus, quae aberrationem huius haeresis denudavit, rogavimus eos, per * christophilum et gloriosum patricium Hareth et, qui (* p. 198.) cum eo erant, viros pios et illustres, ut huic subscriberent; non quidem fecimus mentionem eorum quae, praeter legem et canones, adversus fidem sanam et sanctum beatumque patrem nostrum Mar Paulum ac quosdam alios episcopos, ab eis facta sunt, in perturbationem et scandalum ecclesiae Dei sanctae

[1] Cf. IER., IX, 1; *Ps.* LXVIII, 4.

quae apud nos est; sed non persuasimus, quemadmodum demonstrat epistula, quae a quibusdam nostrum ad eos missa est, et ita ad verbum se habet:

[Exemplar epistulae.] Initium et principium epistulae a nobis nunc vobis scriptae facimus verbum apostolicum quod 5 dicit[1]: Pro Christo rogamus, quasi Deus hortaretur per nos; pro Christo rogamus, reconciliamini Deo, unitatem spiritus vinculo caritatis custodientes erga parvitatem nostram, et illud *irruptum semper servantes*. Scitis enim, fratres nostri, quomodo inimicus noster Calumniator « omni tempore vigilat quaerens 10 quem devoret[2] »; et ei resistamus nos decet, secundum doctrinam apostolicam, adversus eius artificia decertantes. Quid autem magis perniciosum in eius astutia et operatione pessima quam totam ecclesiam pertubare et coetus fidelium per eos quibus fiduciam habent, scandalis implere, et fratres in fratres 15 armare. Hi quidem impetus dolosi eius pessimae operationis nunquam ab initio debuissent transitum ad nos invenire, si quidem paci et concordiae adhaeremus et unum idemque sentimus. Sed haec ita se habere non sivit hostis et impugnator animarum nostrarum. Tempus aptum malitiae suae putavit quidem 20 invenisse, post obdormitionem eius * qui cum santis *est*, patris nostri Theodosii; tumultibus et perturbationibus ecclesiam sanctam Dei quae apud nos est implevit, et ignem haeresis, quae feliciter extincta erat, eorum qui trinitatem deorum aut pluritatem deorum, per numerum definitum aut indefinitum 25 substantiarum vel naturarum introducunt, rursum suscitare per quosdam viros coepit. Hac de re, quando huiusmodi mala surgere coeperunt, cum apud vos eo tempore Constantinopoli adessem ego Iacobus, cum lacrimis multis vos deprecatus sum ne omnino permitteretis ut haec apud vos transitum invenirent, 30 neve vos assensum daretis eis qui propter invidiam odiumque audacter et illegitime agitabantur, et nos perturbare volebant. Et non accepistis.

Callinici autem in civitate, sedulo et cum magna deprecatione, simul atque fratres nostri episcopi qui ibidem congregati erant, 35 rogavi te, pium Mar Eugenium, ut apologiam scriptam faceres,

* p. 199.

[1] II *Cor.*, v, 20; *Eph.*, iv, 3. — [2] I Petr., v, 8.

ut scandalum ob haeresim ortum dissiparetur, et per scripta acciperet apologiam populus fidelis Dei. Et nihilo melius profui.

Et postquam Cpolim adscendistis, epistula communi usus erga pium Mar Cononem et vos, simili modo rogavi ut aut per- 5 turbationi finem imponeretis et scandalum extingueretis quod prave initium inter vos habuit, aut, si id non fieret, exiretis et ad loca vestra remearetis, ut nos et venerabiles fratres nostri operatione et auxilio Spiritus sancti scandalum e medio tollere possimus. Et ne unum quidem ex his facere accepistis.

10 Rursum autem, postquam gloriosus patricius Hareth in Arabiam vocavit nos et sanctum beatumque patriarcham nostrum Mar Paulum, epistulam communem fecimus, ego et venerabilis * Mar Theodorus, *et* scripsimus ad fraternitatem vestram, rogantes ut omnis contentio et inimicitia e medio tolleretur, pacem 15 concordiamque cum fratribus vestris servaretis, quo facto, unio catholica sanctarum Dei ecclesiarum initia pulcra sumere potuisset, eo magis quod piissimis et christophilis imperatoribus nostris *in votis et magno desiderio haec erant*. Ad nullam ex iis verbum fecit fraternitas vestra, ut ipsae res clamant.

20 Rursum quidem Aegienses tuque personaliter, Mar Eugeni, *in scriptis postulavistis a me ut tibi obviam irem*, et per hanc tuam epistulam significasti mihi qualiter timeres ex ignorantia temporis. His autem persuasus, sumpsi mecum viros probatos et elequentes e monasterio sancto Beth Aphthonii, *inter* quos 25 erant venerabilis Sergius, et vir Dei, sanctae memoriae, Demetrius; pervenimus Garbadiso pagum, tempore hiberno, propter utilitatem communem. Multa autem inter nos agitata sunt, et nos omnes petivimus a te ut nobis apologiam faceres ob ea quibus scandalizabamur a vobis, propter haeresim Tritheita- 30 rum seu plures deos aut plures substantias profitentium; et tu quidem id facere prorsus renuisti, immo ad iniurias te convertisti, non solum adversus nos et adversus omnem ordinem monachorum Orientis, sed etiam adversus subscriptionem a comitatu sacro papae, qui inter sanctos *nunc est*, factam. Et cum 35 audivissem a te quae non congruunt et vellem rursum te placare in tanta perturbatione, tibi dixi: Epistulam communem * ad omnes fratres nostros fideles ubique ambo faciemus, ut in mutua communione perseverarent. Sed neque ita tu te nobis

* p. 200.

* p. 201.

commisisti, ita ut ex inde ad eos qui sunt Aegis, Tarsi, in Isauria aliisque locis, breviter, quae ibi inter nos acciderunt, amore veritatis scribere coacti simus.

Et nunc etiam suademus vobis, ego et venerabiles fratres nostri, et idipsum omnes dicimus quod dixit divinus Apostolus[1]: Ne sint scissiones inter nos, ne propter nos nomen Dei blasphemetur inter gentes; sed omnem inimicitiam contentiosam ab animabus vestris removentes, in unione et mutua concordia persistere solliciti sitis. Quapropter, epistula encyclica usi sumus, notum omnibus facientes: nos ei qui inter sanctos *est*, archiepiscopo Theodosio, in omnibus adhaerere; quae ab eo aut de eius consensu, in ecclesia sancta Dei quae apud nos est, facta sunt, a prima die eius ordinationis ad finem eius vitae, nos recipere et firmiter servare.
Rogamus itaque et deprecamur fraternitatem quoque vestram, si in unione et communione nobiscum persevare vultis, id notum faciatis vestra subscriptione supra dictae epistulae encyclicae, eodem modo quo nos et fratres nostri subscripsimus. Cum id a vobis factum esse notum erit, omne offendiculum et omnis causa divisionis a pedibus ecclesiae sanctae Dei quae apud nos est, removebitur, pax Deo grata occurret et regnabit in animabus fidelium. Id etiam scire decet fraternitatem vestram: si cunctatio quaedam aut mora a vobis fiet, quae accessum ad epistulam * impediat, eo quod non accipitis — sane propter quorumdam placitum — huic subscribere, et ita pergitis contemnere unionem et communionem nobiscum, nos afflictione, angustia, dolore animi oppressi dicimus: ea iam parati sumus facere quae antea non proferre sperabamus. Sit igitur vobis praestitutum[2] ad subscribendum vel non, spatium trium dierum ex quo vobis tradetur epistula. — Iacobus, humilis, subscripsi. — Simili modo nos omnes subscripsimus.

Nos itaque nihil eorum quae a nobis erga eos, quasi erga fratres dilectos, facienda erant neglеximus, sed et inter nos et illos, et in congregationibus fratrum, et per epistulas et per personas religiosas et fideles saepius, et per ipsum gloriosum patricium Hareth virosque qui cum eo erant illustres et hono-

* p. 202.

[1] Cf. I *Cor.*, I, 10; *Rom.*, II, 24. — [2] προθεσμία.

ratos, suasimus, monuimus, culpavimus. Curavimus illis persuadere ut recedant ab eis qui numero substantiarum, naturarum, deorum, deitatum, dividunt sanctam et consubstantialem Trinitatem, et nobiscum in via recta et regia sanctorum patrum ambulent, firma et immutabilia servantes quae a saepius commemorato patre nostro sanctae memoriae, Theodosio, adversus haeresim Tritheitarum, seu plures deos aut plures substantias profitentium, facta et recepta sunt. Sed nihil valuimus. Idcirco ab unione et communione nobiscum * separavimus eos, qui nullo modo eis quae a nobis facta aut scripta sunt erga eos intenderunt, neque de intercessione memorati gloriosi patricii et virorum illustrium qui cum eo erant curam habuerunt, neque subscribere consenserunt epistulae encyclicae a nobis factae: cuius etiam exemplar adiunximus huic nostrae epistulae infimae.

Rogamus itaque vos omnes, qui diligitis unionem et communionem nobiscum, postquam noveritis nos ab ecclesia sancta Dei quae apud nos est, istos separavisse et alienos habere a ministerio divino et communione nostra, ne deinceps in numero episcoporum aut sacerdotum eos habeatis et nominetis. Recedite a ministerio et communione istorum, et eorum qui de illis curam haberent; maxime si acciderit illos audacter attentare quaedam negotia inordinata, et leges sacerdotales illegitime violare, ne forte quis vestrum per ignorantiam in ruinam[1] involuntariam cadat: quod absit! per orationes sanctorum. Custodimini autem sub manu potenti eius qui vivificat omnia, Christi Dei nostri, quae grata et electa sunt operantes, fidemque rectam et immaculatam firmiter tenentes. Sollicitudo enim et oratio misericordium imperatorum nostrorum ad id spectat ut mutuam unionem iniremus et opportunitas detur unioni perfectae omnium ecclesiarum sanctarum Dei: quod temporibus Serenitatis eorum accidere concedat Deus, ita ut inde optatam mercedem assequantur, per orationes sanctorum qui ab origine mundi ei placuerunt. Amen.

Exemplar istarum fecimus cum subscriptionibus nostris et etiam * misimus in alia loca, ad confirmationem et persuasionem eorum qui legant.

* p. 203.

* p. 204.

[1] Vide correctiones.

Exemplar subscriptionum:
Iacobus, humilis, postquam legi subscripsi.
Theodorus, humilis, postquam legi subscripsi
Iohannes, humilis, postquam legi subscripsi.
Iohannes, humilis, postquam legi subscripsi. 5
Iohannes, humilis, postquam legi subscripsi.
Sergius, humilis, postquam legi subscripsi.
Sergius, humilis, cum licentiam acceperim a venerabili fratre nostro Mar Iohanne, pro eo subscripsi.
Stephanus, humilis, postquam legi subscripsi. 10
Ptolomaeus, humilis, postquam legi subscripsi.
Elisaeus, humilis, postquam legi subscripsi.
Longinus, humilis, postquam legi subscripsi.
Iohannes, humilis, cum licentiam acceperim ab eo qui morbo detinetur, fratre nostro Mar Paulo, pro eo subscripsi. 15

RURSUM, EORUMDEM AD CLERICOS, PRESBYTEROS, DIACONOS, ARCHIMANDRITAS, ET UNIVERSUM POPULUM FIDELEM QUI IN ARABIA.

Religiosissimis clericis, piissimis presbyteris, diaconis, archimandritis omnique ordini castorum fratrum qui vobiscum in domiciliis monachismi perseverant, in fide divina obfirmati; 20 et populo fideli Christum diligenti qui in Arabia habitat; * p. 205. Iacobus, Theodorus, Iohannes, Iohannes, Iohannes, * Sergius, Iohannes, Stephanus, Longinus, Ptolomaeus, Elisaeus, Paulus, gratia Dei episcopi: in Domino nostro salutem.

Cum auditores simus libri divini qui in admonitione clamat 25 nobis [1]: « Correptione corripe proximum tuum, ne propter eum portes peccatum, » et [2] « qui convertit peccatorem a via eius erroris liberat animam suam a morte, et delet multitudinem peccatorum », non cessavimus arguere in caritate, admonere, hortari, deprecari Cononem et Eugenium, ut se averterent a 30 damnosa haeresi Tritheitarum seu plures substantias profitentium; quemadmodum etiam epistula ad eos a nobis, episcopis Orientis, missa manifesto demonstrat: quae etiam missa est glorioso et fideli patricio Hareth, ut ipse propria manu eam eis traderet. Sed, sive pro nostra parvitate, sive pro vita ipso- 35

[1] *Lev.*, XIX, 17. — [2] IAC., V, 20.

rum nihil fecerunt; non recesserunt ab hoc morbo odioso, sed permanserunt in eadem impietate, « errantes et in errorem ducentes » quemadmodum dicit verbum sacrum [1]. Nos itaque rursum nimia caritate et miseratione *moti* ob perditionem 5 eorum, aliam viam qua prudenter veniremus invenimus, studentes eos compellere ad recta cogitanda; et fecimus etiam apologiam fidei canonicam nos, episcopi Orientis, cum subscriptione nostra, quam misimus fratribus nostris et episcopis qui degunt Constantinopoli; ut et ipsi ei subscriberent, et 10 etiam ex inde manifestum cuique facerent se in omnibus unius mentis et unius animae nobiscum esse. Quam in magno gaudio et exultatione recipimus nos humiles, id est Theodorus, Iohannes, * Stephanus, Longinus, Ptolomaeus, Elisaeus et Paulus. Et * p. 206. cum eam omnino attente et diligenter legissemus et nihil in 15 ea invenissemus quod non congrueret doctrinae sanctorum patrum aut tractatui theologico eius qui cum sanctis *est*, papae Theodosii, qui *tractatus* adversus Tritheitas ab eo promulgatus est, in omni bona voluntate, omnes subscripsimus. Et post haec, praedictus laudatissimus patricius Hareth, vocavit apud se quos- 20 dam patres nostros, ex eis qui habitant urbem regiam. Et non *hos* tantum, sed et Cononem et Eugenium; et tradiderunt utrique, id est Cononi et Eugenio, epistulam ad eos spectantem a nobis episcopis Orientalibus illi *patricio* missam, cum subscriptionibus nostris, in qua praestituti sunt tres dies ut 25 subscriberent vel non subscriberent; quae etiam eos hortatur ne se separent a communione nostra sed subscribant apologiae quae a nobis Orientalibus missa est et cui omnes, ut dictum est, subscripsimus. Hanc itaque cum ab eius Excellentia acce- pissent Conon et Eugenius et privatim legissent, eodem tempore 30 tradidit eis apologiam communem ut legerent et ei subscriberent, sicut nos omnes. Et cum illam accepissent, et diligenter legissent, et subscriptiones nostrum omnium attente consideravissent easque recognovissent, nec ullam excusationem invenissent, dixit eis christophilus patricius Hareth: « Dicite mihi 35 num recte se habeat haec apologia?» Cum autem illi dixissent optime se habere, et postquam multa verba inter eos agitata

[1] II *Tim.*, III, 13.

sunt, comminatoria simul et persuasoria, secundum admonitionem apostolicam quae dicit[1]: * « Argue, increpa, hortare », in fine dixit eis: « Itaque, sicut ceteri omnes venerabiles episcopi, et vos subscribite, atque communionem cum illis servate ». Illi autem noluerunt, in suo errore magis se immergentes. Petierunt autem a nobis, episcopis Constantinopoli degentibus, ut tempus aliud eis concederetur ad meditandum; et concedimus, praeter hos tres dies, dies alios quinque; ita ut si noluerint post hanc tantam prorogationem subscribere, sciant se ipsos suam depositionem effecisse, quemadmodum etiam in fine epistulae ad ipsos datae quid simile eis notatum est.

Elapso itaque praestituto tempore quinque dierum a nobis eis concesso, rursum vocati sunt et pluribus admoniti, tum a nobis, tum ab aliis viris magnis et fidelibus, ut communi apologiae fidei subscriberent, sed nullo modo consenserunt, spe suae vitae omnino amissa. Cum itaque omnimode a nobis et a viris aliis multis, laudabilibus et fidelibus, ut dictum est, sanarentur et sanari noluissent, sicut Babel de qua dixit verbum propheticum[2]: « Curavimus Babylonem et non est sanata »; denique nos lacrimantes, afflicti et dolentes ob eorum perditionem, coacti sumus etiam sententiam luctu plenam, sicut dixit eadem prophetia, ad eos proferre: « derelinquamus eos ». Et sic itaque ad eorum turpem depositionem processimus. His itaque sic peractis, necesse erat ut nos omnia vobis omnibus nota faceremus sicut * omnibus aliis provinciis fecimus, et cum Isaia propheta clamaremus[3] et vobis diceremus: « Exite e medio eorum, recedite ab eis, dicit Dominus; et ad immundos nolite accedere.» Ad notitiam perfectam vestrae caritatis, vobis misimus depositionem istorum, cum subscriptione omnium nostrum, ut dictum est; ei etiam adiunctum est exemplar apologiae a nobis factae, cui etiam subscripsimus.

Haec itaque attente cum legeritis, plane noveritis quae lamentosa acciderunt[4] hoc tempore ecclesiae Dei quae apud nos est. Obtestamur autem vos coram Domino nostro Iesu Christo et coram angelis eius electis[5], ne deinceps ulla communio vobis

[1] II *Tim.*, IV, 2. — [2] IER., LI, 9. — [3] Cf. Is., LII, 11. — [4] Vide correctiones. — [5] Cf. I *Tim.*, V, 21.

* p. 207. * p. 208.

sit cum praedictis haereticis, Conone et Eugenio, aut cum eis qui his adhaereant; sed, sicut vobis mos est, perseverate in fide recta et immaculata, custodientes traditionem sanctorum patrum qui in fide orthodoxa sanctas Dei ecclesias paverunt. Novistis itaque nos omnino ab ecclesia sancta Dei et a communione nostra istos removisse; et si quis iam eis adhaereat quocumque modo, haereticus est et particeps eorum perditionis; nam in se adducit damnationem eorum qui, sicut isti, in sanctam Trinitatem blasphemaverunt. Vos itaque omnino avertite facies vestras ab eis et ab illis qui eis similes sunt. Nobis autem, cum misereamur animarum vestrarum, pro quibus vigilamus et oramus, magna sollicitudo fuit vos praemonendi, ne quis vestrum caderet in errorem eorum, et simul ut nosmetipsos innocentes efficeremus a damnatione eorum qui fortasse in errorem istorum laberentur. Qui propter nos homo factus est, * Christus Deus, qui sanguine suo redemit nos a tyrannide Calumniatoris, vos omnes liberet ab errore istorum Tritheitarum, seu plures substantias profitentium, et ab omni noxia haeretica, et conservet in fide orthodoxa et immaculata, per orationes omnium sanctorum, praesertim sanctae virginis Deigenitricis Mariae. Amen.

Explicit.

Epistula quae facta est ab archimandritis Arabiae ad episcopos Orthodoxos.

Venerabilissimis sanctissimisque dominis nostris patribus spiritalibus et doctoribus, Iacobo, Theodoro, Iohanni, Iohanni, Iohanni, Sergio, Iohanni, Stephano, Longino, Ptolomaeo, Elisaeo, Paulo, auxilio Dei episcopis: cuncti provinciae Arabiae humiles abbates orthodoxi.

Ubi cum gaudio litteras doctrinales sanctitatis vestrae accepimus, — quas, postquam in unum invicem convenimus simulque fuimus nos omnes abbates qui in Arabia, communiter legimus, et earum vim omni studio investigavimus et invenimus perfectae orthodoxiae plenas, — glorificavimus regem omnium Deum, qui zelo divino excitavit vos ut invigilaretis et malitiam atque impietatem amputaretis quae ad instar morbi crudelis et inassueti ecclesiam Dei invasit; et morbum cessare faceretis, et depelleretis * lupos feroces et rapaces a grege Domini et sal-

* p. 209. * p. 210.

vatoris nostri Christi, qui audacter insiliunt et studiose conantur, sub specie pastorum, dilacerare filios religionis orthodoxae.

Etiam si enim in ceteris estis pacifici et quieti, hac in re sane non toleratis esse mites, ne per silentium divinitatem traderetis; sed optime hic estis pugnatores et in certamine strenui, et cum tanto ardore zeli ut vobis congruat sententia apostolica dicens[1]: « Fides vestra audita est, non solum in locis Achaiae, sed in universo mundo.» Et quamvis valde remoti sumus, cotidie vos sanctos et institutores verbi, spiritaliter amplectimur; nunc autem per scripta pacem vestram rogamus et ad genua vestra procidimus; et parum abest quin gratias agamus istis pseudopastoribus et Dei inimicis, qui obliti sunt opus salutis, quod nobis praetextum, aut verius causam dederint harum litterarum ad vos scribendarum, per suam rebellionem quam in detrimentum ecclesiae Orthodoxorum sustinuerunt, sed magis proprie dicendum in detrimentum sui capitis. Adeo superbiverunt ut linguam suam adversus gloriam divinam acuerint, — inventrix enim malorum est impietas, et valde audax ut se insinuet, — et cogitarint aliter quam cogitare decet.

Etiam enim nos humiles, tanquam sub manu vestra veneranda constituti, eumdem vestrum zelum pro fide infallibili et pro doctrinis theophororum patrum nostrorum possidemus, et in votis nostris est ut nullo modo amoveamur * a doctrinis apostolicis, quae nobis traditae sunt, scilicet per laudabilissimos Severum, Anthimum et Theodosium et per eos, qui antea rexerunt ecclesiam, mysteriorum peritos.

Optime novimus verbum in Scripturis prolatum[2]: « Non mutabis terminos quos ab antiquo posuerunt patres tui »: quibus etiam vos sancti adhaeretis, et quorum vestigia in pulcro studio doctrinae sequimini. Nos quoque, discipulos vestros, cum omni sollicitudine per scripta, quae utilia sunt docetis, et quae fieri deceat statuitis: ita ut nemo a regia via discedat. Idcirco, scimus etiam quae ab eis facta sunt et in scriptis eorum Spiritu inspiratis consignata sunt, tanquam a Christo per ipsos dicta, vere firma et apostolice acta fuisse. Eis dum rite et necessario adhaeremus, ab omnibus ductoribus haeresis tota virtute nostra

[1] Cf. I *Thess.*, I, 8. — [2] *Prov.*, XXII, 28.

faciem nostram avertimus: praesertim et speciatim ab hac haeresi, quae nonobstantibus nostris precibus nunc orta est, Tritheitarum, seu polytheismi et multiplicium substantiarum, eorum qui ad malum faciendum ingeniosi sunt: facere enim bonum nesciverunt. Pari modo et eos qui impie dicunt Trinitatem sanctam et consubstantialem per unam e suis hypostasibus incarnatam esse, anathematizamus; nam revera « stulte egerunt pastores » sicut scriptum est[1].

Quoad inhumanationem unius e Trinitate, Dei Verbi, confitemur: ex duabus naturis seu hypostasibus divinitatis et humanitatis, quae perfecte stant in propria ratione, unam factam esse * naturam et hypostasim Dei Verbi incarnatam. Unam enim divinitatem et unam naturam seu substantiam in tribus hypostasibus, vivificatricem et sanctam Trinitatem gloriosissimi doctores ecclesiae catholicae docuerunt; illud quidem naturam divinitatis significat, hoc autem proprietates trium illarum. Sed non tres deos aut tres quosdam deos, nec tres divinitates aut tres quasdam divinitates, nec tres naturas aut tres quasdam naturas, nec tres substantias aut tres quasdam substantias, nec prorsus pluralitatem deorum aut divinitatum, aut naturarum aut substantiarum, nec qualemcunque numerum definitum aut indefinitum, ipsam Trinitatem substantia sublimiorem unquam aliquo modo definiverunt et docuerunt: nec nos ita sentimus, sed adhaeremus, per gratiam Dei, ut antea diximus, doctrinae Deo gratae laudabilissimi patriarchae Severi, et omnibus quae quacunque ratione ab eo facta sunt aut dicta [et] a sanctis[2] Anthimo et Theodosio, — probe enim scimus quomodo etiam legatus vester, beatissimi, in vestigia eorum gradiens, similia omnes ubique docet, — quos decebat *tanquam* semen aut radicem supertites esse Israeli Dei, ne vel unus e filiis veritatis ab eo quod aequum est declinet, sed confessionem orthodoxae religionis quasi anchoram firmam et solidam teneant, ut in veritate firmissima et Deum imitante doctrinae optimae et infallibilis sine mutatione permaneant.

Huic autem nostrae apologiae fidei seu epistulae, ad notitiam vestram, o pastores * sancti, singuli subscripsimus. Detur vobis, detur amatoribus virtutis, carissimis patribus et doctoribus

[1] IER., X, 21. — [2] Vide correctiones.

nostris, et nihilo minus etiam nobis cultoribus vestris, ut per orationes vestras acceptabiles, vitam sanctam, Deo caram et mundam, usque ad consummationem viventes, felicitatem spiritalem in infinita saecula acquiramus et in regnum caeleste ingrediamur, civitatem pulcram supernam, ecclesiam primogenitorum, cuius artifex et conditor Deus est. Et insuper, serenos et triumphatores imperatores nostros Deus omnipotens dignos faciat ut citius unionem ecclesiarum sanctarum Dei ubique sub caelo procurarent, ut etiam in Ierusalem supernam cum rege regum, Christo Deo nostro, in infinita saecula regnarent, per orationes Deigenitricis et semper virginis dominae nostrae Mariae. Amen.

Subscriptiones:

Theodorus, presbyter et archimandrita monasterii abbatis Marcellini in monte Ḥirthae, adprobans quidquid scriptum est supra in hac charta, quae coram me lecta est et mihi interpretata est, subscripsi propria manu.

Anastasius, humilis, magni monasterii Gašimīn, signavi graece.

Neṭira, presbyter et archimandrita monasterii abbatis Mar Maximi, in 'Aṭō, subscripsi propria manu.

Ḥabšub, presb. et archim. monasterii Bartāra', subscripsi manu Thomae presbyteri montis Ḥirthae, postquam ipse apposui crucem gloriosam propria manu.

* p. 214. * Georgius, presb. et archim. monasterii τῶν Ḥarīmaīā, subscripsi propria manu.

Elias, presb. et archim. monasterii Beth Mar Stephani in 'Acraba, subscripsi manu Thomae presbyteri nostri, postquam ipse apposui crucem gloriosam propria manu.

Petrus, presb. et archim. monasterii Kephar Sūga, subscripsi propria manu.

Stephanus, presbyter et archim. monasterii Mar Šalman τῶν Qūrdaīā [1], subscripsi propria manu.

Šalman, presb. et archim. monasterii Kephar Basṭos, subscripsi manu Georgii, discipuli mei.

Conon, presb. et archim. monasterii Gophnat, subscripsi propria manu.

[1] I. e. « Curdorum ».

Conon, presbyter, cum licentiam obtinuerim a Cyrico, presbytero et archimandrita monasterii Mekir, subscripsi pro eo.

Iobus, presb. et archim. monasterii Maṭallē, subscripsi propria manu.

Georgius, presb. et archim. monasterii Beth Ḥalae, subscripsi manu Philothei presbyteri et archimandritae Mar Iobi, monasterii Maṭallē.

David, archimandrita monasterii Bīṭalīā, subscripsi propria manu.

Subscripsi etiam pro presbytero et archimandrita monasterii Bōrgā Ḥewārā [1], Mar Paulo.

Sergius, presb. et archim. monasterii Artemidis, subscripsi propria manu.

Iulianus, eremita edessenus, qui habito in Arabia, subscripsi huic libello, et adprobo quidquid supra scriptum est.

* Thomas, presb. et archim. Tōbnin, subscripsi huic libello et adprobo quidquid supra scriptum est. * p. 215.

Romanus, presbyter et archim. monasterii Ḥinae, Mar Davidis, subscripsi propria manu.

Romanus presbyter, postquam accepi licentiam a Iohanne, presbytero et archimandrita Lūcad, subscripsi pro eo.

Elpidius, presb. et archim. monasterii 'Amīn, subscripsi propria manu.

Elpidius, postquam accepi licentiam a Cyrico presbytero et archim. monasterii Luōn, subscripsi pro eo.

Georgius, presbyter et archim. monasterii Beth Sabiniani in Gašimīn, subscripsi propria manu.

Georgius presbyter, cum licentiam acceperim a Mar Aelio, presbytero et archimandrita monasterii Beth Mar Sergii Gabithae, subscripsi pro eo.

Mennas, presb. et archim. monasterii Kephar Šemeš [2], subscripsi propria manu.

Sabinius, presbyter et archimandrita monasterii abbatis Titi, in 'Acraba, subscripsi per manum Cononis, presbyteri nostri.

Naṭor, presb. et archim. monasterii Kephar Kūmrē [3], subscripsi propria manu.

[1] I. e. « Turris Albae ». — [2] I. e. « vicus Solis ». — [3] I. e. « vicus sacerdotum ».

Iohannes, presbyter et archim. monasterii ʻAlcīn, licentiam dedi Georgio, filio Azizi, ut scribat pro me graece, quia nullus e discipulis meis hic adest; consentiens ego, notum feci.

* p. 216. * Thomas, presbyter Magdulae, subscripsi propria manu.

Georgius, presbyter et archimandrita monasterii Namarae, 5 subscripsi propria manu graece.

Proclus, presb. et archim. monasterii Gašimīn, subscripsi propria manu.

Martyrius, presb. et archim. monasterii Zimrōn, subscripsi propria manu. 10

Martyrius, cum acceperim licentiam a Georgio, presbytero et archimandrita monasterii Motanae, subscripsi pro eo.

Theodorus, presb. et archim. martyrii Mar Theodori in Berrōcia, subscripsi manu Abrahami fratris nostri.

Mennas, presb. et archim. monasterii Gašimīn, subscripsi 15 propria manu, graece.

Elias, presb. et archim. monasterii Gašimīn, subscripsi graece propria manu.

Theodorus, presb. et archim. Beth Mar Phocae de Šušanna, subscripsi propria manu. 20

Zenodorus, presbyter Ṣūrmanīn pagi, subscripsi propria manu graece.

Iohannes, presbyter et archimandrita Nahra dQaṣtra [1], subscripsi graece propria manu.

Leontius, presbyter et archimandrita monasterii Novi in pago 25 Kephar Tūʻalat [2], confiteor et assentior sanctis patribus nostris, subscripsi graece propria manu.

Paulus, presbyter et archimandrita Šaurō, subscripsi propria manu.

Ego Paulus, humilis, cum licentiam acceperim a Mar Stepha- 30 no, presbytero et archimandrita monasterii Zabīrat, subscripsi pro eo.

* p. 217. * Iohannes, presbyter et archimandrita Montis Maḥagga, adprobo quidquid supra scriptum est, et signavi propria manu.

Ego Iohannes, cum licentiam acceperim a Mar Stephano, 35 presbytero et archimandrita monasterii Phēdīn, subscripsi pro eo.

[1] I. e. « Flumen Castri ». — [2] Vide correctiones.

Petrus, presb. et archimandrita Lakeph, subscripsi manu Eliae presbyteri nostri.

Theodorus, presbyter Nahra dQaṣtra, cum legerim et mihi accepta essent, subscripsi graece propria manu.

5 Theodorus, presbyter, cum licentiam acceperim a Iobo presbytero, philotheo archimandrita Mar Iosephi in pago Bōṭaʻ, scripsi pro eo, eo quod nesciebat scribere.

Ḥulaiph, presbyter et archimandrita monasterii Kephar Šemeš, subscripsi huic chartae; cum assentior ego omnibus patri- 10 bus orthodoxis, et *patribus* synodi CCCXVIII, et CL, et Ephesi, subscripsi.

Cyriacus, presb. et archim. monasterii Bar-Saphra [1], subscripsi graece propria manu.

Zenodorus, presb. et archim. monasterii Gelaša, subscripsi 15 propria manu.

Georgius, humilis, presbyter et reclusus monasterii Busraēl pagi, scripsi graece propria manu.

Stephanus, presb. et archim. monasterii Cōnīata, subscripsi manu presbyteri Mar Sergii Montis Maḥagga.

20 Iohannes, presbyter et archim. sancti monasterii Mar Cononis τῶν Zorawaīā, assentior ego et subscripsi propria manu.

* Sergius, presbyter et archimandrita monasterii ʻOlmat, subscripsi propria manu. * p. 218.

Ego Sergius, cum licentiam acceperim a Mar Sergio, pres- 25 bytero martyrii Mar Sergii in ʻOlmat, subscripsi pro eo.

Iohannes, presb. et archim. monasterii Saʻarīʻaēl, subscripsi propria manu.

Ego Iohannes, cum licentiam acceperim a Mar Elia, presbytero et archim. monasterii Gadirathae, subscripsi pro eo.

30 Iohannes, diaconus et archimandrita monasterii ʻAhirat, subscripsi propria manu.

Sergius, presb. et archim. monasterii Bōrgā Hariph, subscripsi propria manu.

Sergius, presb. et archim. monasterii ʻOlmat, subscripsi pro- 35 pria manu.

Ego Sergius, cum licentiam acceperim a Mar Oppiano, pres-

[1] Nomen viri, quod sonat « Filius scribae ».

bytero et archimandrita monasterii ʻOlmat, subscripsi pro eo.

Abdas, presbyter et archim. monasterii Ruʻaph, subscripsi propria manu.

Ego Abdas, cum licentiam acceperim a Mar Iobo, presbytero et archimandrita monasterii Ruʻaph, subscripsi pro eo.

Iobus, presb. et archim. monasterii Aṭīma, subscripsi propria manu.

Elias, presbyter pagi Mekir, scripsi propria manu.

Sergius, presbyter et archimandrita Beth Mar Philippi Euphaniae, subscripsi propria manu.

* p. 219. * Ego Sergius, cum licentiam acceperim a Mar Elia, presbytero et archimandrita monasterii Gutar, subscripsi pro eo.

Iobus, diaconus et archimandrita monasterii Kephar Gōza [1], subscripsi propria manu.

Stephanus, presbyter et archimandrita monasterii Namul, scripsi propria manu graece.

Ḥabšub, presbyter et archimandrita columnae [2] Kephar Nasig, subscripsi manu Iohannis presbyteri nostri.

Ḥabšub, presb. et archim. monasterii Amōnīn, subscripsi propria manu.

Sabbatius, presbyter et archimandrita monasterii quod situm est Ḥinae et vocatur Lycostoma, subscripsi propria manu.

Conon, presbyter et archimandrita monasterii Mekir, subscripsi manu presbyteri Aelii eiusdem pagi.

Moses, presb. et archim. monasterii Libōnta, subscripsi manu Iobi discipuli nostri.

Abrahamus, presbyter et archim. monasterii Beth Ṣalma [3], in pago Ḥina, subscripsi propria manu.

Georgius, presbyter et archimandrita monasterii Mar Cyriaci, Ḥinae, subscripsi manu Mar Eliae presbyteri et reclusi monasterii nostri.

Sergius, reclusus monasterii Ḥinae, subscripsi manu Mar Eliae reclusi.

Thomas, presbyter et archimandrita monasterii Mar Eliae, Ḥinae, subscripsi manu Mar Abrahami presbyteri et archimandritae monasterii Beth Ṣalma.

[1] I. e. « Vicus nucis ». — [2] Sic, etiam infra, p. 153, l. 10, et 155, l. 32. — [3] I. e. « Domus imaginis ».

Alphaeus, presbyter et archimandrita monasterii Durbel, cum assentior ego sanctis patribus nostris, scripsi propria manu graece.

* Paulus, diaconus et archimandrita ʻAin Gara [1], scripsi * p. 220. manu Alphaei, monasterii theophili Alphaei, in pago Durbēl.

Stephanus, archimandrita monasterii Kephar Ḥauar, qui gratia Dei vocatus sum reclusus, subscripsi propria manu.

Iohannes, presbyter et reclusus monasterii Bethīmān pagi, scripsi graece manu Iuliani discipuli mei.

Zenodorus, presbyter et archim. columnae [2] Beth-Tīman [3], subscripsi manu Iohannis qui habitat in monasterio Ḥinae, quod vocatur aedes Dominae Mariae.

Sargona, presb. et archim. monasterii Praesidii, subscripsi manu philothei presbyteri, archimandritae et visitatoris Mar Georgii monasterii Ḥarīmaīā.

Silvanus, presb. et archim. monasterii ʻAudīʻ, probo quidquid supra scriptum est, et subscripsi propria manu.

Maron, presb. et archimandrita monasterii Beth Ilana [5] τῶν Dareīā, subscripsi propria manu.

Daniel, presb. et archim. monasterii τῶν Dareīā, subscripsi propria manu.

Iohannes, presb. et archim. monasterii Tellae Ḉurdorum, subscripsi manu religiosi presbyteri et archimandritae Mar Silvani ʻAudin [6].

Alphaeus, presbyter et archim. monasterii Novi Kephar Susia [7], subscripsi manu Iobi, diaconi nostri.

Sabinianus, presb. et archim. Beth Ḗliae τῶν Qurdaīā, subscripsi manu philothei * presbyteri, archimandritae et visitatoris Mar Stephani monasterii Mar Šalman τῶν Qurdaīā. * p. 221

Conon, presb. et archim. monasterii Kapha, subscripsi manu Maronis presbyteri et archimandritae monasterii Beth Ilana τῶν Dareīā.

Elias, diaconus et archimandrita Nusae, subscripsi manu Mar Iohannis discipuli monasterii Mar Šalman Qurdaīā.

[1] Sic, potius quam ʻAin Gadda. — [2] Sic; cf. p. 155, n. 4. — [3] Sic; quia pars prior sub finem versus ex[illegible]ta est. — [4] Paullo infra, ʻAudin. — [5] I. e. « Domus Arboris ». — [6] Cf. supra, n. 4. — [7] I. e. « Equi pagus ».

Iohannes, presb. et archim. monasterii Mar Pauli in Sakkaia, subscripsi manu philothei Mar Stephani presbyteri, archimandritae, et visitatoris monasterii Mar Šalman Qurdaīā.

Ḥabuš, presb. et archim. monasterii Sakkaia, qui sum gratia Dei reclusus, subscripsi propria manu.

Mennas, presb. et archim. monasterii τῶν Gubaīā in Qurdaīā, subscripsi propria manu.

Elias, presbyter et archim. monasterii Boṣo'a, subscripsi propria manu.

Leontius, diaconus et archimandrita monasterii Mar Sergii in Boṣo'a, subscripsi manu Mar Mennae, presbyteri et archimandritae monasterii τῶν Gubaīā.

Rufus, diaconus et archimandrita monasterii Boṣo'a, subscripsi propria manu.

Elias, presb. et archim. monasterii τῶν Qurdaīā, scripsi propria manu, graece.

Scripsi etiam pro Alphaeo, diacono et archimandrita monasterii Chusīta pagi, cum licentiam ab eo acceperim.

Symmachius, presbyter, archimandrita et reclusus monasterii Boṣo'a, subscripsi propria manu.

Elias, presbyter et archimandrita monasterii Ṣephrīn[1], subscripsi * manu presbyteri et archimandritae Danielis monasterii Dareīā. * p. 222

Romanus, diaconus et archimandrita monasterii Dareīā, subscripsi propria manu.

Subscripsi etiam pro religioso Mar Barichaeo, presbytero et archimandrita monasterii Dareīā.

Paulus, diaconus et archimandrita monasterii Luzē[2], Dareīā pagi, scripsi manu diaconi Iohannis eiusdem pagi Dareīā.

Sabōn, diaconus et archimandrita monasterii Dareīā, subscripsi manu Maronis presbyteri et archimandritae monasterii Beth Ilana.

Sabinianus, presbyter, archimandrita et reclusus monasterii Riš Ilana[3], subscripsi manu Mar Sergii, diaconi nostri.

Iohannes, presbyter et archimandrita monasterii quod vocatur Ḥōlbon, scripsi graece propria manu.

[1] I. e. « mon. Avium.» — [2] I. e. « mon. Amygdalorum ». — [3] I. e. « Caput Arboris ».

Scripsi etiam pro philotheo Thoma, presbytero et archimandrita monasterii Kephar Susia pagi.

Alphaeus, presb. et archim. monasterii Ḥacla[1] τῶν Dareīā, subscripsi propria manu.

Subscripsi etiam pro Mar Iohanne, presbytero et archimandrita monasterii Dareīā.

Sabbatius, diaconus et archimandrita monasterii Mar Ionae, Dareīā, subscripsi manu Mar Iohannis discipuli monasterii Beth Mar Šalman τῶν Qurdaīā.

Antiochus, presbyter et archimandrita monasterii Gabtil, cum adhaereo nostris sanctis patribus, scripsi graece propria manu.

* Nicasius, presbyter et archimandrita monasterii Gabtil, scripsi graece propria manu. * p. 223

Nonnus, presbyter et archimandrita monasterii Gabtil, scripsi propria manu.

Lucas, presbyter et archimandrita monasterii 'Ewīrā[2], subscripsi manu Mar Iohannis, presbyteri nostri.

Thomas, presbyter et archimandrita monasterii Gubail, subscripsi propria manu.

'Abdallaha, presbyter et archimandrita Ḥadithae, subscripsi propria manu.

Sergius, presbyter et archimandrita monasterii Ḥaliurim, subscripsi manu Mar Iuliani, fratris nostri.

Bessus, presbyter et archimandrita monasterii Gīglē[3], subscripsi manu Thomae presbyteri nostri.

Sergius, presb. et archim. monasterii 'Ocabta, subscripsi manu presbyteri Mar Eustathii, vicarii mei, qui est presbyter ecclesiae gloriosi philochristi patricii Mundari.

Neṭira, presb. et archim. Apha, subscripsi propria manu.

Leontius, peccator, misericordia Dei et gratia Christi monachus columnae[4] monasterii sancti Hugonis, adhaereo fidei rectae et verae sanctorum patrum orthodoxorum, et confitendo scripsi graece propria manu.

[1] I. e. « ager » seu « campus Darciorum ». — [2] I. e. « mon. Caeci ». — [3] I. e. « mon. Rotarum ». — [4] Sic, tertia vice (cf. p. 152, 153); quare *'amūda* in *'ūmra* mutare non ausus sum; scribam enim in notissima voce ter erravisse aegre concedendum.

Elias, presb. et archim. monasterii Mētabīn, subscripsi propria manu.

Subscripsi etiam pro Mar Habele, presbytero et archimandrita monasterii Beth Mar Isaaci, Lubaib.

Timotheus, diaconus et archimandrita monasterii Meṣrīn, subscripsi propria manu. 5

* p. 224. * Subscripsi etiam pro Mar Elia, presbytero et archimandrita monasterii Šemnīl;

et pro Mar Iuliano, presbytero et archimandrita monasterii Gedaīa [1]. 10

Elias, presb. et archim. monasterii Kephar Aušai pagi, scripsi manu philothei Eliae, presbyteri et archimandritae monasterii Gašimin pagi.

Iohannes, presb. et archim. monasterii 'Issanīā, subscripsi manu Mar Eliae, archimandritae monasterii τῶν Ara'banaīā. 15

Elias, presb. et archim. aedis dominae nostrae Mariae in Aphera, subscripsi propria manu.

Ḥanina, presbyter et archimandrita monasterii sancti Šalmān, subscripsi manu philothei Mar Isaaci presbyteri mei.

Elias, presb. et archimandrita monasterii Misphar pagi, 20 scripsi propria manu.

Ṭapsorus, presbyter Misphar pagi, scripsi graece propria manu.

Elias, diaconus et archimandrita monasterii τῶν Ara'banaīā, subscripsi propria manu. 25

Iosephus, presbyter et archimandrita monasterii Kephar Za'ōra, scripsi propria manu.

Elpidius, presbyter et archimandrita monasterii 'Ayūn [2], subscripsi propria manu.

Subscripsi etiam pro religioso Mar David, presbytero et ar- 30 chimandrita monasterii τῶν Rašeīā.

Explicit.

[1] I. e. « mon. Adsensus »? — [2] I. e. « mon. Fontium ».

* Expositio documenti.

* p. 225.

Primum scire debet quicunque haec scripta inventurus est eorum causam hanc esse:

Presbyter Iohannes Claudus, qui egressus est e monasterio 5 Beth Mar Bassi, invenit egregium presbyterum Mar Iohannem Sabam Rešainensem, qui erat magister Mar Sergii, reclusi in monasterio Nicaeae. Et ardenti zelo studuit Iohannes Claudus ut offendere faceret Mar Iohannem Sabam eumque separaret a communione beati Mar Pauli patriarchae. Et cum multa ei 10 dixisset, responsum dedit Sabas, vituperans dictum Iohannem: « Quare receditis a communione patriarchae Mar Pauli, cum non redarguistis eum rebus quas dicitis de eo cum sit absens? » Respondit ei Iohannes: « Etiam sancti patres ita egerunt suis temporibus. » Castus autem Sabas petiit ab eo ut ipsi daret in 15 scriptis vituperia illa quae fassus est adversus patriarcham. Is vero non solum vituperia scripsit, sed etiam synodos sanctas ecclesiae ausus est calumniare, quod « talia fecerunt et quosdam eiecerunt sine disceptatione. » Quae autem scripsit venerunt ad dictum piissimum Mar Sergium, per ipsum Sabam eius 20 magistrum, et ab eo accepit eorum solutionem. Quae ex ordine infra scripta sunt.

Responsio seu solutio a viro orthodoxo facta quaestionibus quas posuit presbyter Mar Iohannes, qui exivit e monasterio sancto Mar Bassi.

25 Chartam dedit mihi legendam, paternitas tua, et a me interrogatus: quis eam dederit tibi et per quem * scripta sit; mihi * p. 226. dixisti eam compositam esse et tibi datam a presbytero et archimandrita Mar Iohanne, qui exivit e casto monasterio Mar Bassi, scriptam vero manu discipuli eius Probi.

30 Cum haec charta mihi lecta esset, supputavi quidem qualis esset scopus dicti viri, nam hunc obscure indicabat demonstratio petita ex epistula Severi, sanctae memoriae, scripta ad Theophanem scholasticum; et rursum e nomine beati patriarchae nostri Mar Pauli. Attamen cum nec initium, nec indi- 35 cium nec quidquam clare manifestans scopum eorum, inveni-

retur in charta, quaesivi a paternitate vestra qua intentione dederit vobis huiusmodi chartam archimandrita Mar Iohannes; et mihi respondistis: « Quod inaniter accusatis eos, quasi inique condemnavissent venerabilem patriarcham nostrum Mar Paulum, et insipienter recessissent ab eo, cum nullo modo vocatus fuerit canonice in iudicium, nec examinata fuerint quae in eum proferuntur ab Alexandrinis, ut exigunt canones ecclesiastici et variae dispositiones sanctorum patrum; sed mentem turbidam et invidiae plenam Alexandrinorum sequuti essent sine quocumque examine »[1]. Cum vellet mihi demonstrare — id enim a me petitum est, — archimandrita Mar Iohannes « non per innovationem id factum esse adversus sanctum patriarcham nostrum », adduxit exempla e rebus gestis sanctorum patrum *petita,* qui « saepius erga varias personas hanc agendi rationem tenuerunt », et « non vocatum in iudicium, qui accusabatur, damnaverunt, et abiecerunt e locis eorum[2]». Et id volens confirmare dedit paternitati tuae talem chartam * quae continet capitula e gestis sanctorum patrum *petita,* ut dictum est; et hanc ut mihi ostenderes te rogavit. Cum tuum erat consilium alias personas adeundi et eis eam ostendendi, eo quod capaces erant probandi quae in ea continentur, nescio utrum confidens in tua caritate castus archimandrita Iohannes praedictus, ita cum contemptu et temere scripserit talem chartam, an si contemnens et spernens simplicitatem meam.

* p. 227.

Ego tamen, propter honorem tuae paternitatis et propter mandatum tuum, quia intellexi quod ob amorem tantum veritatis et ob placationem huius viri consensisti neglegere personas illas quas adire volebas, quae capaces erant et quibus praesto erat copia exemplorum e libris ad accuratam harum quaestionum illustrationem, et accepisti, secundum voluntatem viri, ad me solum venire et mihi commitere examen, cum optime noscis imbecillitatem animae meae et corporis mei, et rusticitatem sermonis mei, et me non habere, ut deceret, nec mihi praesto esse libros ecclesiasticos quibus illuminarer; ego tamen, confisus in misericordia et auxilio Dei qui illuminat caecos et dat loquelam

[1] De Pauli depositione, vide IOH. EPHES., *Hist. eccl.* parte tertia, lib. IV, c. XVII. — [2] Sic; minus concinne.

blaesis, et in orationibus vestris, quantum potest simplicitas mea et capax est mea debilitas, a memetipso, ut ita dicam, prorsus nihil hac in re proferam aut probabo, sed rationem agendi patrum revelabo et manifestabo, ad accuratam eruditionem eorum qui *scire* volunt; etiamsi tarditas mentis meae et balbuties linguae meae res absconditas non possunt in claram lucem adducere, sed vix manifestas et notas cum difficultate et molestia exponere.

Capitula autem, in libro * quem composuit dictus archimandrita Mar Iohannes, cum rogasti eum, et qui scriptus est, ut dicis, manu eius discipuli Probi, haec sunt:

* p. 228.

EXEMPLAR CAPITULORUM ORDINATORUM AB ARCHIMANDRITA MAR IOHANNE, QUI EXIVIT E MONASTERIO SANCTI MAR BASSI.

Capitulum primum. — Depositi sunt[1], cum non convocati essent, Meletius Lyci[2] a synodo CCCXVIII *patrum,* propter transgressionem canonum; cum subverterunt ordinationem eius[3], ut demonstratur ex epistula quam ad Alexandrinos scripsit synodus[4]. Narrat autem accurate hanc historiam, occasione suae transgressionis canonum, Timotheus qui dicitur Aelurus.

Capitulum secundum. — Item, Maximus Cynicus a synodo CL *patrum,* propter inordinatam eius institutionem[5], et subverterunt etiam ordinationem eius; ut demonstratur ex canonibus ipsorum.

Capitulum tertium. — Hibas et Theodoretus a Dioscoro et synodo eius, depositi sunt cum non vocati essent; similiter et Domnus, patriarcha Antiochiae, cum libellus adversus eum a quibusdam fidelibus datus esset; ut demonstratur ex synodicis epistulis eorum.

Capitulum quartum. — Severus et synodus eius deposuerunt duos episcopos Apamenses, qui non vocati sunt, et pariter Epiphanium Tyri; ut ostendit Xenaias[6] in epistula ad monachos de administratione ecclesiastica. Et etiam alii ab aliis *depositi sunt.* Qui autem * aliquid facit cum habeat exempla paterna, is canonice agit, ut testatur sanctus Severus ad Theophanem scholasticum.

* p. 229.

[1] Sic, in plur. num.; quasi verborum subiecti sint Meletius et Maximus. — [2] Seu Lycopolis. — [3] Vide correctiones. — [4] Vide infra, p. 162. — [5] ἀταξία — [6] Philoxenus hierapolitanus.

Capitulum quintum. — Quando fit episcopus, secundum regulas orthodoxas, si nonnulli ei se opponunt nec eum recipiunt, propter passionem quamdam, opinio plurimorum stabit pro eo, ut testatur canon vicesimus synodi Antiochenae et sextus synodi Nicaenae. Idipsum docet Severus in epistula ad Dionysium, 5 episcopum Tarsi, dum sermone universali ita statuit: « Quia decet, in his quae ad principatum spectant, ut plurimis assentiremur », et « non eadem est ratio paenitentiae et principatus spiritalis ». Et Proclus, episcopus Cpolis, factus fuerat *episcopus* Cyzici, et postquam factus est, insurrexit civitas et pro 10 eo alium creavit; ipse autem inde cessit, ut ostendit Socrates.

Capitulum sextum. — Theodorus, qui factus est episcopus a Longino, sine consensu eorum qui ecclesiam Alexandrinorum gubernabant, et episcoporum qui ibi erant, Iosephi et Iohannis. Non enim data est ei licentia, nec: « quem velis fac », nec 15 « talem », nec: « cum eo quem velis ». Et id dum in libertate, gratia Dei, administrabatur ecclesia huius loci, et noti erant eius rectores, gubernatores et episcopi.

Capitulum septimum. — Vituperatur apologia[1] Mar Pauli; primum ob sectionem peccatorum quae[2] fecit: ⌈peccatum illud 20 quod sibi elegit[3]; ob sectionem quam composuit, in qua dicit: « qui peccavit, is non indiget poenitentia », et huius rei exemplum posuit rationem agendi Apostolorum qui suaserunt Paulo ut adscenderet in templum et purificaretur[4].

* p. 230. * Capitulum octavum. — Et quod attinet ad Moysem et Aha- 25 ronem, et ad Macchabaeos, et ad Paulum, et ad alios.

Capitulum nonum. — Et in doctrina ratione edicti.

Explicit.

Responsio et solutio obiectionis [primae][5] — Haec igitur sunt capitula, quae ordinavit archimandrita Mar Iohannes, 30 volens demonstrare: « Non desunt eis exempla sanctorum patrum, in his quae fecerunt in ecclesia, contra canones paternos, erga personam beati patriarchae nostri » Alexandrini et hi qui

[1] πληροφορία — [2] Sic, (non: « quam fecit ») ut suadet responsio (infra, p. 196). — [3] Sententia obscura; alludit fortasse ad communionem Pauli cum Chalcedonensibus, vel ad sententias ubi is se peccatorem profitetur; cf. supra, p. 70, 71, 124, et infra, p. 171, 195. — [4] Cf. *Act. ap.*, XXI, 23-26. — [5] In ceteris textus obiectionis solutioni praemittitur.

adhaeserunt menti eorum, purae et passionis experti, sicut dicit.

Consideremus quomodo ab initio reprobaverunt, ut opinantur, venerabilem dictum patriarcham nostrum.

5 Ex epistula Petri, quae missa est per Iohannem presbyterum et Ambrosium diaconum ad Mar Iacobum; quae appellatur synodica: « Haec cum noveritis, o beati, transmissione epistularum nos laetificate, notum facientes quod Paulum, qui pluries traditor fuit fidei, nullo modo vultis inter sacerdotes computare, 10 sed tantum in communione, et quidem postquam fecerit poenitentiam, propter heterodoxiam Novati. »

E libello quem Mar Iacobus et Mar Sergius e Beth Aphthonii exhibuerunt Petro Alexandriae: « Prorsus non consentimus inter sacerdotes recensere Paulum qui vocatur e Beth Uchamē, 15 secundum sententiam in eum a vestra beatitudine *prolatam* et a venerabilibus episcopis * qui vobiscum *erant*, etsi inconsulto * p. 231. accepimus eum, cum ea quae ab eo facta essent ignoraremus. »

Item, ex epistula quam scripsit Mar Iacobus Alexandria ad Orientales: « Quoad Paulum e Beth Uchamē, prorsus eum inter 20 sacerdotes non computamus, secundum sententiam in eum latam a venerabili papa supra dicto et venerabilibus episcopis qui erant cum eo, propter varias causas quae non sunt absolutione dignae secundum canones divinos. »

Supradictae personae, Petrus, inquam, et Mar Iacobus, ita 25 damnaverunt et contempserunt sanctum patriarcham nostrum Mar Paulum.

Accedamus nunc ad occursum historiarum ecclesiasticarum; attente inspiciamus rationem agendi sanctorum patrum, et examinemus quomodo reiciebant eos qui id meruisse videbantur, 30 cum non convocabant eos, nec iudicio dignos eos habebant. Et primum perpendamus negocium Meletii, in quem sententias tulit sancta synodus CCCXVIII *patrum;* si quidem primo loco commemoratus est in capitulis archimandritae Mar Iohannis; et videamus quae de eo narrant Socrates et Sozomenus, histo- 35 rici ecclesiastici. Liber enim Timothei Aeluri nunc mihi praesto non est.

Examinemus primum si synodus Petri assimilanda est concilio sancto et oecumenico, et si comparandum est decretum

adversus Meletium cum modo quo contempserunt beatum patriarcham nostrum Mar Paulum, beati orthodoxi supra dicti. Narrant itaque Socrates et Sozomenus de negocio Meletii, haec:

E libro primo historiae Socratis, e capite sexto. — « Iungebantur cum asseclis Arii etiam Meletiani, qui paulo ante * ab ecclesia segregati sunt. Quinam autem isti sint, dicemus. A Petro episcopo Alexandriae, qui tempore Diocletiani martyrium passus est, Meletius quidam, qui erat episcopus cuiusdam civitatis Aegypti, e loco suo eiectus est propter varias causas, sed praesertim quod tempore persecutionis fidem abnegans sacrificasset. Is autem postquam eiectus est, multos invenit fautores qui ei adhereant, et renunciatus est dux haeresis eorum, et illi ab eo deinceps Meletiani appellati sunt in Aegypto. Nulla quidem erat ei excusatio circa eius separationem ab ecclesia, sed dicebat se iniuria affectum, et conviciis ac maledictis Petrum afficiebat. At Petrus, uti dixi, tempore persecutionis martyrium passus est et vitam finivit; ille autem convicia sua convertit in Achillam, qui post Petrum factus est episcopus, et deinceps in Alexandrum qui Achillae successit. Dum autem in his versantur, orta est malitia Arii, et Meletius cum suis Ario se iunxerunt; episcopo resistebant et factiones congregabant. »

Item, ex epistula sanctae synodi nicaenae, quae ponitur loco capitis noni[1] et notificat quae ipsa synodus circa Meletium definivit. Ita loquitur: « Quia misericorditer commota est sancta synodus: summo enim iure nulla venia dignus erat ob ea quae ab ipso facta sunt, *definivit* ut Meletius in sua civitate maneat, nec ullam habeat potestatem offerendi, aut sacerdotes faciendi; nec in regione aut in alia civitate appareat hac de causa. * Sit autem ei nudum honoris nomen.» — Item, ex eadem epistula: « Quoad autem personam Meletii non eadem decernunt propter continuam eius perturbationem, propter eius audaciam et mentis rebellionem; sed ne detur ulla potestas aut auctoritas viro qui easdem perturbationes denuo excitare possit. »

Addit Socrates, de illa synodo loquens, haec: « Cum de festo paschali omnes consensissent, Meletio haeresis capiti, honorem episcopatus retinere annuerunt, potestate autem quidquam agendi tanquam episcopus eum destituerunt.»

[1] Apud Socratem.

Etiam Sozomenus scriptor, de negocio Meletii haec narrat[1]: « Cum examinata essent quae in Aegypto acciderunt, propter Meletium, condemnavit eum synodus ut in urbe Lyco degeret, nudum nomen haberet episcopi, nec deinceps ullam ordinationem faceret sive in civitate sive in pago. » Et rursum, post pauca[2]: « Id aequum synodo visum est, dum reputat audaciam et propensionem Meletii et consortium eius ad ordinationes faciendas; quippe qui dum Petrus, qui martyrium passus est, aufugeret propter persecutionem saevientem, cum ipse esset princeps ecclesiae Alexandrinae, rapuit ordinationes quae ad illum pertinebant.»

Ecce discimus negocium Meletii et accusationes in eum *latas*, et iniquitatem eius in tantas personas et in omnes, e narratione historiarum quae ad eum spectant et ad damnationem eius per sanctam synodum CCCXVIII *patrum;* novimus etiam rationem depositionis qua deposuerunt Petrus[3] Alexandriae et Mar Iacobus[4] sanctum patriarcham nostrum Mar Paulum. Et suadeo tibi et omni viro christiano * qui haec scripta inventurus sit, si id unquam accidet, ut reputans secum quod surrecturus sit coram tribunali formidando Christi Dei et rationem redditurus operum, verborum, cogitationum suarum, aeque in omni rectitudine examinare et iudicare si aequalia sint acta Meletii et *acta* venerabilis Mar Pauli, et si paria sint iudicia et definitiones sanctae synodi adversus Meletium, et Petri eiusque congregationis, et Mar Iacobi, adversus virum sanctum supradictum. Ecce enim videmus Meletium in apostasiam lapsum esse tempore persecutionis et etiam sacrificavisse, et rursum ausus est attentare ordinationes quae competebant sancto archiepiscopo, martyri Petro, ausus est etiam facere adversus beatum Achillam, et iterum adversus sanctum Alexandrum, ea quae enarrata sunt; tradidit seipsum idololatriae Arianorum; fecit praeterea innumera mala, ut testantur historici. Examen eorum quae ei imputabantur in synodo factum est cum sollicitudine non vespertino tempore, nec expanso velo,[5] non cum tenebris dissimularentur iudices, non cum ad loquendum dolo adduceretur redargutor seu accusator, — nescio enim quid velint appellem eum, ut veritatem narremus; — sed in luce, coram

[1] Libr. I, cap. XXIV. — [2] Vide correctiones. — [3] Monophysita, Theodori competitor. — [4] Baradaeus. — [5] I. e. secreto, ianuis clausis.

synodo oecumenica, dum omnia ordine et pulcro decore peragebantur. Et post haec omnia, quia prae timore coactus est Meletius aliquam speciem emendationis manifestare brevi tempore, ecce videmus synodum sanctam eum sacerdotio non destituisse; sed propter audaciam eius inordinatam, et pertubationem in ordinationibus, manum eius illegitimam et audacem cohibuit tantum; nomine et honore sacerdotii non privavit eum, nec spoliavit eum; nec post haec et talia dixit, sicut * nunc dixerunt festinatione irascibili et infatuata superbia, « Meletium hunc nunquam prorsus inter sacerdotes connumerabimus, propter varias causas, quae non sunt absolutione dignas, secundum divinos canones ». At vero, post apostasiam manifestam Meletii a fide in Christum Deum, et sacrificationem idolis, et post iniurias tantis viris sanctis, et post audacter attentatas et effectas ordinationes illegitimas, et postquam miscuit se Arianis, et dein factus est ipse princeps factionis haereticae, ita ut omnibus patesceret agitatio eius continua, et rebellio et pertinacia mentis eius, ut propriis verbis de eo testantur historiae ecclesiasticae: qua demonstratione, quo iudicio, quibus testibus, quibus argumentis indigebat sancta synodus? cum aperte, sicut dictum est, et sine verecundia crimina sua patrabat Meletius. In tam apertam improbitatem actionum paganarum lapsus est, ut beatus Antonius, angelus ille terrestris, summa sollicitudine fugere ab impuro commercio eius et eius[1] asseclarum praecipiebat, ut testatur de eo validus athleta fidei orthodoxae Athanasius, scribens[2]: « Etiam fide admirabilis fuit valde, et recte honorabilis. Non enim cum Meletianis schismatum fautoribus unquam communicavit, quia noverat malitiam eorum et promptam defectionem a veritate, nec cum Manichaeis aut ceteris haereticis amice locutus est, nisi tantum admonitionis causa, propter conversionem ad rectam fidem. Existimabat enim et monebat amicitiam et commercium cum illis * detrimentum et perniciem esse animae. » Et cum revelatione divina praescivisset migrationem suam hinc ad Deum, tanquam haereditatem necessariam et utilem reliquit discipulis suis hanc admonitionem, dicens[3]: « Sicut antea dixi, solliciti estote custodire vosmetipsos ab obscenis cogitationibus,

[1] Vide correctiones. — [2] *Patr. Gr.*, t. XXVI, col. 940. — [3] Col. 967.

et pulchra sit vobis aemulatio erga sanctos, et ne accedatis ad Meletianos, schismatum fautores; cognoscitis enim malitiam eorum et turpem voluntatem.»

Et ecce videmus sanctam synodum huiusmodi virum, quia aliquam simulatam emendationem ostendit, non destituisse sacerdotio, ne examine quidem peracto, sicut *fecit* haec nova crudelitas. Si quis autem aliquid simile ostendere potest in causa beati patriarchae nostri Mar Pauli, se declaret et in medium prodeat, et ostendat qua synodo examinatae sint res eius, vel ipso non adstante, ut erga Meletium factum esse confitetur, quae sententia sive scripta sive non scripta in eum lata sit, aut propter quasnam eius actiones. Numquid fortasse conferunt et acquiparant synodo huic oecumenicae et legitimae miram congregationem Petri, quam sursum deorsum versat Mar Iacobus in suis epistulis? Sed cursu rapido transeamus, de ea nihil nunc dicentes, oculos nostros claudentes propter pudorem erga eius presbyteros, ut ita eos vocem[1], et propter auctoritatem canonicam quam possidebant, ut testantur * litterae eorum absolutoriae[2], quas si ostendere requirantur citius et sine mora quacumque proferunt et exhibent coram omnibus. Et sic manifestatur consequentia actionis eorum et legitimitas totius congregationis! Quapropter transeamus ab hoc negocio, manum imponentes ori nostro; dicitur enim[3]: « Ineffabilia silentio honorantur »; et praesertim cum in caritate, non autem in rigore et aemulatione, fiant haec scripta *nostra*.

Numquid fortasse nobis obicient sanctum patriarcham nostrum adhaesisse blandimentis adiurationum et promissionum bonae spei, aut artificio alii, tempore edicti defuncti imperatoris Iustini? Quid faciemus de eius paenitentia? quo reponemus id quod clamat propheta, dicens[4]: « Numquid qui cecidit non resurget, et qui aversus est non revertetur? Quare conversus es conversione impudenti et detinearis in placito tuo?» Ut abstineam a longiore sermone satis mihi est, ad convictionem plenam eius qui non delevit e corde suo timorem Christi Dei, subscriptio quam apposuit in apologia, quam direxit ad ecclesiam fidelium propter communicationem suam cum adversariis; quae ita se habet:

[1] In marg.: « Antoninos qui creaverunt Petrum innuit et irridet. » (Cf. p. 190). — [2] ἀπολυτικαί (γραφαί) — [3] Cf. p. 48, l. 31. — [4] Ier., VIII, 4.

Exemplar subscriptionis beati patriarchae Mar Pauli. — I. Salvos vos servet Dominus, o Deo grati et mihi cari! quem mecum adduco testem sermonis. Ad faciendam vobis plenam fiduciam propria manu scribo: Non memor sum me unquam sponte mea * trangressum esse fidem theophororum patrum nostrorum, praesertim Severi et Theodosii; sed neque uno verbo quocunque defeci ab amore et honore qui eis debentur, in occursu adversariorum. Et si mentior, indignus fiam misericordiae eius in die iudicii. — II. Si accepi aliquid concedere ante finem, propter causam aliam ac persuasionem, quam habebam eo tempore, hoc solum medium, post Deum, fore ut finis imponeretur pravis actionibus quae fiebant, et vigeret unio ecclesiae sanctae eaque quae ad eius stabilimentum conferunt, numerer cum Dei occisoribus et traditoribus. — III. Si fugere potius quam facie ad faciem coram omnibus eos arguere de sua transgressione promissionum manifesta, inconsulto elegi, non vero quia persuasum habebam, multis argumentis, hoc utile esse ecclesiae sanctae et praesertim venerabilibus episcopis, quamvis in fine ego personaliter detrimentum passurus eram: non sit mihi refugium, protectio aut adiuvamen in angustiis meis ille qui est omnibus in eo confidentibus auxilium, custodia et salus! — IV. Salvi estote in Domino nostro usque ad consummationem, o honorati! offerentes ei pro me deprecationem assiduam et non intermissam, ut liberarer ab ore leonum et a persequentibus me, dum erit mihi murus et refugium ipse Christus et non sinet ut incidam in laqueos peccatorum meorum.

Impossibile autem existimo, post maledicta et adiurationes adeo terribilia, ut id impugnent qui optimi sunt; qui enim fautores * Novati sunt, minime spero ut consentiant confiteri, sicut ipsi iam antea misericorditer[1] scripserunt!

Episcopos autem aliquando in communionem cum haeresi, sive sponte sive invitos, cecidisse, et conversos prompte ab omnibus orthodoxis acceptos fuisse, docet historia beati Liberii patriarchae Romae, et Osii confessoris, episcopi Cordubae civitatis, et beati Gregorii patris sancti Gregorii theologi, et, ut

[1] Vel « sollicite »; lusorio sensu.

plura omittam, tempore nostro Iohannis defuncti episcopi Arabum. Immo, his quidem praetermissis, imitentur synodum sanctam CCCXVIII patrum, in quantum misericorditer commoti sunt, ut in eius historia scriptum est. « In rigore enim sermonis, neque absolutione dignus erat », ut ipsi asseruerunt in scriptis suis, sanctus patriarcha noster. Quare autem? Ipsi aperiant: nos autem intellegere non possumus, ob facti ambiguitatem.

Obiciunt autem nobis impetu incoercibili ordinationem venerabilis papae Mar Theodori. De hac dicere quomodo facta sit pro tempore omittemus. Sed petimus ab eis ut ostendant undenam eam crimini vertant beato patriarchae Mar Paulo. Numquid historiam gravem velarii[1] effabilis[2], et obscuritatis quae ibi erat, et sessionis in ea *obscuritate* iudicum ceteraque huiusmodi iocosa adhuc in medium proferant? Ego vero miser et vilis, eis suaderem, ubicumque deferatur haec narratio, capita cooperiant et aures obturant et in angulos et latebras confugiant omnes orthodoxi, ne quid huiusmodi audirent. Vere enim per eam *narrationem* « facti sumus opprobrium * vicinis nostris, derisus et subsanatio eis qui circumdant nos; et moverunt capita sua et exploserunt labia sua »; et opportune « dixerunt: Euge! euge! viderunt oculi nostri[3]. » Nam prorsus non invenire licet aliquid tale factum fuisse in ecclesia Dei ab inhumanatione Verbi Dei usque hodie, sed ne tempore quidem ante eius manifestationem divinam, tempore legis beati Moysis. Quid autem haec dicam? Ostendant nobis si in actibus humanis a libidine expertis, diebus paganorum aliquid tale factum sit. Si itaque caret et destituta est omni typo et omni exemplo haec nova agendi ratio, aperte manifestum est eam non esse canonicam et legitimam, secundum definitionem theophori Severi; sicut enim definivit testimonium[4] huius beati, quod adduxit archimandrita Mar Iohannes ex epistula ad Theophanem scholasticum: « Qui facit aliquid cum habeat exempla paterna, is canonice agit. » Clarum est ergo: « qui facit contrarium ..... : reliqua vos concludite!

[1] βηλάριον. — [2] I. e. « famosi, fabulosi », si recta lectio; malim « ineffabilis », ironice dicto (cf. p. 171), vel vocem « expansi » significantem; cf. supra, p. 163. — [3] Cf. *Ps.* LXXVIII, 4; XXI 8; XXXIV, 21. — [4] χρῆσις. Cf. E. W. Brooks, *Letters of Severus*, n° XLIII (*Patr. Or.*, XII, 309).

Silentio premam et omittam testimonium casti Mar Iacobi et eximii Sergii eius syncelli, qui iuravit se verissime testari: nam quae disputabantur inter eum qui loquebatur et eum ad quem dicebantur, Longinum, graece proferebantur.

Nos enim parati sumus, auxiliante Christo Deo, cum omni fiducia adducere testimonia, quae omnino liberarent ab huiusmodi calumnia sanctum patriarcham nostrum. Et primum quidem hoc confirmat cursus celer in Orientem venerabilis Mar Longini, qui cucurrit, ut ita dicam, in vestigia Mar Iacobi; et convocatio canonica in scriptis missa seni *nunc* defuncto a *sancto patriarcha et ab eis qui cum eo erant: quam ordinate accepta est, praetermitto propter honorem eius qui eam[1] accepit; et voces solemnes quas cum adiurationibus tremendis, clamabat ipse Mar Longinus coram venerabilibus episcopis eius sociis, coram monachis, coram saecularibus, coram omnibus cuiuscumque conditionis et ordinis, per scripta et sine scriptis, quas praetermitto propter nimiam extensionem sermonis. Satis est, opinor, ut referam aliquot verba ex eius epistula ad piissimos archimandritas, cuius initium sonat: Ecce viva voce manifestavi coram amore religionis qui in vobis... « Quia desideravistis discere a parvitate mea num adfuerit nobiscum sanctus patriarcha Mar Paulus, aut nobiscum imposuerit manum, aut aliquod consilium nobis dederit propter ordinationem praedicti sancti papae Mar Theodori, adfirmo coram Domino et dico, non deliberavit nobiscum hac de re, nec adfuit nobis cum eum institueremus, nec consilio eius, aut viri cuiuscumque cum eo genere coniuncti, quasi eius nomine vel de eius mandato, haec ordinatio facta est.»

Manifestat autem eius dispositionem et ardorem ad redarguendum, cursus eius in numerosa loca et ad varias personas cuiusque ordinis, in corpore infirmo et per senectutem morbosque diversos attrito, necnon spatium totius fere anni quod egit in Oriente, hac sola ratione. Maxime ostendit alacritatem eius voluntatis propter revelationem totius negocii epistula ab eo scripta ad castum Iohannem[2] de Beth *Mar Hanina, cuius initium est: Memor est omnino sanctitas fraternitatis vestrae... « Cum haec didicissem coactus sum hic hiemare, etsi

[1] Vide correctiones. — [2] Ep. Saurae Romanorum (*Anecd. syr.*, II, 256).

res multae, quasi coram Domino, urgebant me ut peterem Alexandriam. Omnes quidem neglexi, et paratus sum, cum aderunt, ut dicitur, venerabiles episcopi et piissimi archimandritae, venire et rationem reddere eorum quae mihi imputantur, et existimo, omnibus ita canonice examinatis, eum qui non consentiet, tanquam auctorem schismatis in ecclesia sancta Dei, damnandum esse tali sententia. Non latet sanctitatem vestram ratio cunctationis meae. Morbus enim corporalis accidit mihi et vehementer me vexavit propter peccata mea; is impedivit quin haec vobis mitterentur. Ad accuratam notitiam veritatis non abhorreo paulisper recedere a forma quae decet dignitatem sacerdotalem: Adiuro vos itaque per Trinitatem sanctam et consubstantialem, per vitam serenissimorum Imperatorum nostrorum[1] et misericordis Caesaris[2], ut ostendas et notas facias has litteras meas venerabilibus episcopis Orthodoxorum, et omnibus piissimis archimandritis in regione Orientis, et omnibus fidelibus. Si autem transgressus fueris adiurationes quas tibi detuli propter manifestationem veritatis, reddes rationem hac de re coram tribunali Domini nostri Christi. Non autem desinam ostendere te etiam vitas imperatorum nostrorum misericordium et Caesaris a Deo custoditi contempsisse. Exemplar enim huius epistulae apud me teneo ad cautionem meam. Subscripsi et etiam *mecum* nonnulli ex piissimis archimandritis. Scriptum mense tišrī posteriore, indictione decima, anno 888[3].»

*De rebus quae spectant ad Mar Longinum, haec satis sunt, ut cetera omnia taceam, propter extensionem plurimorum. Puto enim impossibile esse ut quis meliori ratione ad lumen veritatis rapiatur.

Ego autem suadeo et tibi et omnibus qui invenient has litteras ut, sicut dictum est, in timore Dei comparent facta cum factis, scripta cum scriptis, dicta cum dictis, et proferatur iudicium irreprehensibile coram tribunali formidando Christi. Addam tantum, ad significationem veritatis, pauca verba ex epistula quam scripsit vir venerabilis[4] Alexandria ad beatum patriarcham nostrum, quibus cognoscetur quid testatus sit de hoc negocio etiam venerabilis papa Mar Theodorus, siquidem per subscriptionem suam confirmavit ea quae scripsit honoratus

[1] Iustinus II et Sophia. — [2] Tiberius. — [3] Nov. 576. — [4] Longinus.

Mar Longinus; quae ita sonant: « Volo ut sciat beatitudo vestra quosdam ex vestris adversariis hic agere; nescio utrum sponte sua an si ab aliis excitentur. Petierunt a me num beatitudo vestra nobiscum adfuerit in ordinatione beati Mar Theodori. Ego autem cum plane ignorarem quid texere vellent, et ad 5 quid tenderet huiusmodi interrogatio, omnimodo asserui eis non consilio vestro aut virorum vobis genere propinquorum hanc peractam fuisse; nec vos adfuisse cum, annuente Deo, ordinatio fieret. Et narravi eis negocium minute, et quare ad me venerunt venerabiles episcopi Iohannes[1] et Georgius[2].» Et 10 post alia: « Haec quidem pluries etiam venerabilis * Mar Theodorus dixit eis quos inveniebat; ne autem eadem scriberet, ad confirmationem vestram signavit sanctitas eius hanc epistulam propria manu.»

* p. 244.

Quid itaque testatus sit venerabilis papa Mar Theodorus 15 de ordinatione sua, ecce didicimus ex illis quae nunc a nobis revelata sunt; quaenam autem asseruerit propter eam etiam venerabilis episcopus Mar Iohannes[1], e sancto monasterio Mar Bassi, subscriptio quam apposuit epistulae ad piissimos archimandritas ab episcopo Mar Longino directae docet; quae ita 20 se habet:

Exemplar subscriptionis Iohannis episcopi. — « Iohannes, per misericordiam Dei episcopus. Testor ego, et assentior ego eis quae supra scripta sunt a venerabili Mar Longino episcopo, socio meo, circa ordinationem sancti Theodori, id est non ad- 25 fuisse nobiscum in hac *ordinatione* beatum patriarcham nostrum Paulum. Et postquam audivi venerabilem Mar Longinum propia voce recitavisse ea quae supra scripta sunt, ob ea quae agitata sunt in monasterio Beth Mar Ḥanina, et ea signavisse sua subscriptione, quasi in conspectu veritatis, testor ego et 30 subscripsi.» Huius venerabilis viri haec quidem sunt.

Qualis autem sit opinio et testimonium, circa id negocium, sancti Mar Georgii episcopi? Concludit liber eius, amicus veritatis et significativus sinceritatis, omnia quae acciderunt: qui cupit subtiliter confirmari et omnia sedulo assequi adeat huius- 35 modi historiam, quae deducet eum ad illuminationem totius veritatis.

[1] Ep. Chalcidis. — [2] Urtaeus; fortasse ep. Iberorum?

Cum igitur ipsa congruentia et paternis directionibus ad silentium redacti sunt, ab accusando sancto patriarcha nostro propter participationem, tempore edicti factam, cum his qui nunc ecclesias occupant, * iam destiterunt; sed profe- 5 runt et incusant et saepius sursum deorsum versant ordinationem venerabilis papae Mar Theodori, quasi facta sit eius consilio aut mandato, quod nullo modo ei iure competebat. Et fortasse hac ratione contendunt comparare quae ad ipsum pertinent cum negocio Meletii. Hoc autem student stabilire 10 praxi illa laudabili, quae fulcitur multis exemplis ecclesiasticis, dico autem vespertinum tempus gratum, velum mirabile, obscuritatem gloriosam in qua sedebant qui erant iidem accusatores, testes et sententiam proferentes. Suadeo ut considerent coram veritate: Numquid requirimur a congruentia, a legibus 15 ecclesiasticis aut saecularibus ut fidem daremus chartae ratione tam incongruenti contextae, in qua sit professio unius tantum, ipsius qui dolo seductus et attractus est, sicut ipsi confessi sunt in adiurationibus subscriptionum suarum in ipsa charta, et praeter eos id testatur, pariter cum iuramentis ut dicitur, 20 etiam sanctus Sergius syncellus Mar Iacobi, qui solers fuit in cognitione linguae graecae? Negocium enim senis honorati dimitto, propter eius honorem, nec non altas voces quae in omni fiducia, per iuramenta sacra, per scripta veracia, per subscriptiones firmas, in quattuor plagas, ut ita dicam, coram 25 omni ordine et aetate hominum, clamantur ab omnibus istis. Quattuor enim viri venerabiles isti sunt: sanctus papa Mar Theodorus, qui accepit manuum impositionem, et tres venerabiles episcopi, ut postulat canon, qui eum creaverunt, nempe Mar Longinus, Mar Iohannes et Mar Georgius. Hi autem quid 30 adfirmaverint * circa hoc negocium per adiurationes et per omnes agendi rationes? Ecce iam antea per omnes sensus nostros, ut ita dicam, clare percepimus. Nobis traditum est in aliquo loco scripturarum[1]: Ne unius *viri*, maxime in tali conditione, accipiamus testimonium, sed ore duorum vel trium 35 testium stet omne verbum.

* p. 245

* p. 246

Suadeo igitur ut ostendat, qui velit, qua ratione comparanda

[1] *Deut.*, XIX, 15.

sit historia Meletii negocio beati patriarchae nostri, cum sane non meritus est is, quocunque modo, ea quae meritus est ille; aut quae similitudo sit inter sanctam synodum CCCXVIII patrum et congregationem recti Petri, qui tanquam iudicem eius designavit Mar Iacobum, et socios eius, qui contempserant sanctum virum. Ostendant igitur nobis quale iudicium aut quale examen fecerint circa causas ei imputatas. Etiam si eum dignum convocatione canonica non existimarunt, nec dederunt ei locum apologiae faciendae, omnino consenseruntne ut accedat ad eos et viderent eum? saltem sciebantne ubinam esset? Et si quidem in scriptis huiusmodi examen factum est, ostendant nobis acta quae composita sunt circa hanc causam, ut postulat regula; si autem sine scriptis *factum est*, quinam sunt accusatores, quinam testes, quinam iudices: eosdem enim esse testes, accusatores et iudices non permittunt neque praxis neque leges ecclesiasticae aut saeculares. Actiones enim impiae Meletii cum omnibus manifestae et notae essent, examinatae sunt merito et diligenter a sancta synodo, solummodo propter honestatem et legalem dispositionem, ut omnino notum est ex historiis eorum qui scripserunt res * ecclesiasticas. (* p. 247.)

Nemo autem mihi proferat chartam quam iam paraverunt, multis studiose consutis ineptiis, quasi a viro qui cognominatur μήτρα[1], et inter se circumferunt; manifestum enim et notum est, quod hanc, longo tempore post suum contemptum legis et canonum, artificio usi composuerunt et nunc circumferunt!

Sicut saepius dixi, rogo quemcunque haec scripta inventurum, ut iudicet in rectitudine suae conscientiae et attente conferat omnia cum perita prudentia, etiam si gravitas cordis mei et rusticitas linguae meae obscura reliquerunt quae valde lucida sunt, et sententiam ferat, quasi in conspectu Christi Dei et vere persuasus quod « iudicio quo iudicat iudicabitur, et mensura qua metitur remetietur ei[2] », sicut dixit is qui verax est et promissionum suarum omnium adimpletor. — Explicit.

[1] I. e. « vespa »; fortasse proprium nomen Μητρᾶς per contemptionem corruptum. — [2] Cf. Matth., vii, 2.

Capitulum secundum proposuit archimandrita Iohannes hoc: Rursum, Maximus Cynicus, a synodo CL *patrum*, propter inordinatam eius institutionem, et subverterunt eius ordinationem, ut demonstratur e canonibus eorum.

Responsio et solutio eius obiectionis. — Examinemus quid narret Sozomenus, scriptor ecclesiasticus, de sancta synodo CL episcoporum et de negocio Maximi Cynici; tradit enim ea quae statuta sunt in canone adversus hunc lato. Socrates enim, scriptor alius, id non commemorat. Scripsit itaque Sozomenus his verbis[1]: « Statuerunt irrita fuisse et esse quae pertinent ad Maximum et quae ab eo facta sunt, nec esse nec omnino fuisse * episcopum, nec esse clericos qui ab ipso creati sunt. (* p. 248.) Hunc enim virum, qui erat genere alexandrinus, professione autem philosophus cynicus, sollicite tamen defendebat fidem nicaenae synodi, *episcopi* qui tunc ex Aegypto congregati erant episcopum Constantinopolis furtiva ordinatione constituerunt. » Haec recitat scriptor.

Definiat autem qui velit, num necesse erat aut congruum sanctae synodo CL *patrum*, quae Cpoli congregata erat, ut examinaret factum impium, impudens et inordinatum huiusmodi, quod coram eorum oculis patratum est. Ecce enim didicimus ex historia ecclesiastica quod, congregata universa synodo, imperator memoria dignus Theodosius volebat, cum multis episcopis, beatum Gregorium Theologum manere in episcopali sede: attoniti enim admirabantur eius eloquentiam totamque vitae rationem et quomodo ecclesiam, quae iam ad dissipationem vergebat, ut ita dicam, restituerit et exaltaverit ultra omnem spem. *Episcopi* autem qui ex Aegypto convenerant, praesertim ob suam oppositionem beato Gregorio, furtim fecerunt ordinationem, ut scriptum est, et instituerunt episcopum Constantinopolis, cum tanta praevaricatione, dictum Maximum Cynicum. Contempserunt et despexerunt, impetu perturbationis pleno et cum audacia damnatione digna, tum magnum imperatorem Theodosium, cum sanctam synodum universam. Factum ergo commissum cum tanta pervicacia et confusione coram eorum oculis, ut dictum est, * qua scrutatione aut quo examine indi- (* p. 249.)

[1] Libr. VII, cap. IX.

gebat? Quae enim praeter ordinem et praeter legem aperte aguntur, castigatione tantum sunt digna.

Iudicate itaque, quasi coram veritate, si qua similitudo sit inter negocium sancti patriarchae nostri et negocium Maximi Cynici. Non enim inconsulto, mente tyrannica, arrogantia 5 rebelli id egerunt tales viri sancti et ordinati, sicut acta sunt quae spectant ad sanctum patriarcham nostrum ab eis qui nunc huic negocio[1] implicati sunt, per passionem multimodam[2]. Significationem amplissimam habet eorum canon mirabilis[1] et Deo gratus, positus sine ulla intermissione statim post cano- 10 nem in Maximum Cynicum *latum*. Ex eo enim, nobis facile est ediscere qua regularitate, qua cautione, qua vigilantia accipiendam esse accusationem in episcopum definiverint, ut inde congruenter prodeat sententia. Is canon sanctorum patrum ad verbum ita se habet[3]: « Quia multi, qui cupiunt ordines eccle- 15 siasticos perturbare et subvertere, cupidine inimicitiae et iniustitiae, varias causas adversus episcopos orthodoxos, qui ecclesias regunt, componunt, dum nihil aliud intendunt quam puritatem vitae sacerdotalis maculare pacemque gentium et ecclesiarum perturbare; idcirco placuit sanctae synodo episcoporum, quae 20 Constantinopoli congregata est, ne accipiantur accusationes sine prolixo examine, neque omnibus proferre accusationem adversus eos qui regunt ecclesias licitum sit, nec *tamen * p. 250. omnibus praeclusum. Sed si quis propriam querelam habeat adversus episcopum proferendam, utpote defraudatus ab eo, 25 vel alia quadam iniuria ab eo affectus, in huiusmodi accusationibus nec personae accusatorum nec eorum religio inquirendae sunt. Decet enim ut omnino libera sit conscientia episcopi, et qui dicit se laesum fuisse, ex quacumque confessione sit, ius obtineat. Si autem ecclesiastica sit accusatio quae 30 profertur adversus episcopum, tunc necesse est ut examinentur personae accusatrices; ut primum non sit haereticis concessum ut accusationes adversus episcopos orthodoxos in rebus ecclesiasticis componant. Haereticos autem eos dicimus qui ante ab ecclesia excommunicati sunt, et qui postea a nobis anathemati- 35 zati sunt; et cum istis etiam homines qui sanam fidem in se

[1] Vide correctiones. — [2] πολυκέφαλος. — [3] Cf. *Cod. can. univ. Ecclesiae*, in collectionibus conciliorum; vel in *Patr. Lat.*, t. LXVII, col. 77.

ipsis tenere demonstrant, sed se separant et conventicula faciunt adversus episcopos nobiscum communicantes. Rursum, si propter certas causas quidam vituperati sunt et ecclesia eiecti aut interdicti, sive e clero sive ex ordinibus saecularium, neque istis 5 licitum est accusare episcopum, nisi prius de propriis accusationibus satisfecerint. Similiter et qui includuntur in praevia accusatione, ad accusationem episcopi aut alius clerici ne prius admittantur quam se ipsos ab accusationibus sibi obiectis liberaverint. Si vero nonnulli inveniuntur qui non sint haeretici, 10 nec interdicto subiecti, nec querelis implicati, nec huiusmodi accusatio in ipsos antea prolata fuerit, dicant autem se habere aliquam adversus episcopum ecclesiasticam accusationem, hos iubet synodus * primum quidem coram omnibus episcopis pro- * p. 251 vinciae accusationes instituere et coram illis perpendi accusa- 15 tionem in episcopum prolatam. Si autem acciderit ut nequeant episcopi provinciae accusationes in episcopum illatas corrigere, tunc accedant ad maiorem synodum episcoporum huius dioecesis, qui hac de causa convocati fuerint; sed prius accusatio ne discutiatur quam requirantur et scriptis consentiant accusa- 20 tores se pari periculo subiacere si calumniatores episcopi inveniantur in examine causae. Si quis autem, his spretis quae supra definita sunt, ausus fuerit aut imperatoris aures obtundere, aut ad tribunalia iudicum saecularium accedere, aut synodum oecumenicam perturbare, contemptis dioeceseos episcopis, is omnino 25 ad accusationem ne admittatur, utpote qui canones sanctos contemnit et ordines ecclesiasticos destruit. » Et canon istorum patrum spiritalium ita prudenter definivit, ut scriptum est.

Viri autem qui talem canonem instituerunt et definiverunt, non voluerunt verbis tantum, dum contraria agunt, manifestare 30 regularitatem et custodiam legis. Decet ut praeterea audiamus canonem apostolicum, qui et ipse similia clamat, dum ita dicit:

Canon septuagesimus[1] sanctorum Apostolorum: — « Episcopum a fidelibus fide dignis accusatum, ab episcopis vocari necesse est; et si quidem comparuerit, et convictus confessus 35 fuerit, in eum poena decernatur; si autem vocatus non obtemperaverit, secunda vice vocetur, * missis ad ipsum duobus episco- * p. 252.

[1] Septuagesimus secundus apud Syros (MAII, *Nova collectio*, X, p. 182).

pis; si vero nec ita obtemperaverit, vocetur tertio, missis rursum ad ipsum episcopis duobus; si autem etiam contempserit et non comparuerit, synodus episcoporum sententiam in eum ferat, quae sibi placuerit, ne forte subterfugiis lucrum fecisse videatur.» — Explicit capitulum secundum.

Capitulum tertium: Hibas et Theodoretus a Dioscoro et eius synodo depositi sunt, cum non vocati essent. Pariter et Domnus patriarcha Antiochiae, cum adversus eum dati essent libelli a quibusdam fidelibus, ut apparet ex *actis* synodicis eorum.

Responsio et solutio obiectionis. — « Quis dabit capiti meo aquas et oculis meis fontem lacrimarum, et amare flebo[1].» Nam ecce rursum Iesus, per suos, cum iniquis computatur[2]; ecce rursum beatus Paulus illi Aegyptio tyranno et seductori assimilatur[3]. Vide, Domine, ne taceas. Evigilare, Domine: quare dormis? Exsurge, et ne repellas in finem. Non avertas faciem tuam a nobis! Parce gregi tuo pusillo; quia nunc, Domine, imminuti sumus plusquam omnes gentes, et humiles sumus in universa terra propter culpas et peccata nostra; ne forte, sine misericordia nos invicem mordentes et devorantes, ab invicem consumamur, et fiamus in proverbium gentibus, et in commotionem capitis populis. Quare igitur dileximus vanitatem, et loquimur mendacium? Quare miscemus ea quae misceri non possunt?[4] Videamus qua ratione, si tamen aliquo modo, historia beati patriarchae nostri causas Hibae, Theodoreti et Domni imitetur.

* p. 253. * Et primum examinemus quae ad Hibam spectant. Quis autem de eo ignorat, etiam si, sicut ego, parum versatus est in rebus ecclesiasticis, Edessenos eius blasphemiis adversus Christum Deum et innumeris malitiis devictos petitionem obtulisse imperatori memoriae digno Theodosio, gementes et flentes super vehementiam insaniae eius. Eorum autem misertus, pius imperator iussit Photium episcopum Tyri, Eustathium Beryti, Uranium Himeriae examinare ea quorum accusabatur Hibas. Qualia autem fuerint? Licebit cui voluerit, ex actis Beryti

[1] IEREM., IX, 1. — [2] MARC., XV, 28. — [3] Cf. *Act. apost.*, XXI, 38. — [4] Oratio e variis Scripturae sententiis concinnata; cf. *Ps.* XXXIV, 22; XLIII, 23; DAN., III, 37; *Gal.*, V, 15; *Ps.* XLIII, 15; IV, 3.

institutis facile discere. Cum autem mora facta esset in sententia ferenda, propter rationem quam ex ipsismet verbis iudicum eius discimus, et cum eius accusatores frequentius molestabant imperatorem, is iussit synodum secundam examinare causam eius, et quale fuerit iudicium Beryti in eum institutum. Interrogati sunt igitur a synodo, nam in ea aderant, Photius et Eustathius episcopi, quid iudicaverint propter Hibam; et responderunt his verbis: « De Hiba plura coram nobis agitata sunt in scriptis, quoad eius fidem; et cum testes habere necesse esset et valde longum esset iter, statuimus quod clerici Edessae civitatis confiterentur coram evangelio quid scirent de accusatione adversus eum illata quoad rem fidei. Propterea itaque plura in scriptis agitata sunt in ipsa Edessa, quae etiam pervenerunt ad notitiam orthodoxi et misericordis imperatoris nostri; quia itaque his annuit insignis victoria imperator noster et accepit testificationem omnium quae professa sunt * in huiusmodi actis, ut nunc audivit sanctitas vestra, suademus ut commentarii coram vobis legantur.» Et post alia: « Hoc notum facimus sanctitati vestrae quod nos post eorum auditionem[1] non consensimus cum dicto Hiba communicare.»[2] Ego autem opinor, ex sola hac constitutione auditorum, et inde quod destiterunt ab eius commercio, manifestum et clarum esse sententiam eos protulisse de eius heterodoxia. * p. 254.

Quanta autem et qualia erant ea quae in eum prolata sunt, et Edessae consignata sunt in commentariis: — ibi enim decreverunt iudices eius ut firmiter acciperent confirmationem testimonia in eum prolata — ex ipsis commentariis Edessae factis videre est. Viri enim omnis condicionis et ordinis, ex ipsa civitate et ex omni regione circumiacenti, usque ad mulieres, facti sunt accusatores eius coram Chaerea, praefecto[3] civitatis. Accusabant eum, ut paucis dicam, quasi descripsisset totam perversam opinionem Nestorii, spoliavisset sanctuarium, et vasa sacra argentea, partim liquefecerit ad conflanda vasa in ministerium mensis suae, partim vendiderit et eorum pretium furatus sit cum multis bonis pauperum et captivorum. Eum etiam accusabant magiae, et designabant eius socios in his

[1] Vide correctiones. — [2] Ex actis pseudo-synodi Ephesinae; cf. I. FLEMMING, *Akten* etc. (Abhandl. Göttingen, Bd. XV, p. 14). — [3] ἡγεμών.

sceleribus; et vocabant eum aurigam[1], eo quod in lusu quodam libidinoso quid simile turpiter agebat. De hisce omnibus commentarios fecerunt et detulerunt in notitiam defuncti Theodosii imperatoris. Is cum recepisset eos, probavisset et concordes invenisset, tum misit eos ad sanctam synodum secundam 5
*p. 255. * Ephesinam. Hi lecti sunt coram synodo, una cum epistula impia ipsius Hibae ad Marim persam; aderant autem episcopi Photius et Eustathius, et ipsi accusatores eius; ita cum omni congruentia tulit in eum sententiam legitimam sancta synodus.

Ecce discimus breviter negocium Hibae, et tantam sollicitu- 10 dinem adhibitam fuisse pro convenientia probationis omnium quae ei imputabantur, ut post haec, et post assensum imperatoris, non neglexerit congruum examen sancta synodus; sed quoad Hibae personam quid requirebatur post tantam diligentiam? An autem quid tale factum sit erga sanctum patriar- 15 cham Mar Paulum, rogo et obtestor quemcumque audientem: iudicet et definiat sua sponte, quasi in conspectu Christi Dei, omnium scrutatoris.

De Theodoreto autem quomodo quis ultro loquetur? Quemnam lateant res eius et zelus eius pro Nestorio, et qualiter 20 strenue decertat, in scriptis et sine scriptis, pro Theodoro et Diodoro haereticis? Quemnam lateant eius scripta et pugnae validae adversus sanctum Cyrillum doctorem ecclesiae? Ut reliqua nunc omittam, vellem referre totam epistulam quam scripsit ad Iohannem Antiochiae post migrationem ad Deum 25 ipsius beati Cyrilli, in qua spernit, deridet, subsannat mortem eius sanctam eiusque fidem vere divinam, ut notum sit quousque Satanas animam eius trahere potuerit. Ne autem nimium
*p. 256. protraherem sermonem, partes eius tantum referam. Est * itaque initium huius epistulae[2], quae vere manavit ex illo fonte 30 amaro, viro cordis pagani et linguae diabolicae, illud: « Vix et tardius nimis mortuus est homo malus; boni enim et excellentes ante tempus demigrant, mali autem multo tempore vitam protrahunt.» Et post alia, rursum: « Cyrillum autem miserum nec ad similitudinem aliorum dimisit curator animarum nos- 35 trarum diutius eorum potiri quae delectabilia videntur, sed

[1] ἡνίοχος. — [2] *Patr. Gr.*, t. LXXXIII, col. 1489.

cum videret cotidie crescentem viri malignitatem et ecclesiae corpori nocentem, tanquam morbum quemdam pestilentem amputavit et 'abstulit opprobrium Israel'[1]. Vivos quidem laetificavit eius discessus, mortuos autem, ut conicere licet, 5 constritavit; et timor est ne gravati eius cohabitatione, iterum ad nos illum remittant, aut possit illos effugere qui eum deducunt, sicut ille tyrannus Luciani Cynici[2]. Procurandum igitur est summa cura, et decet sanctitatem tuam sollicitudinem haud mediocrem adhibere, et collegio mortuos sepelientium mandare 10 ut lapidem aliquem maximum et gravissimum imponant eius sepulcro ne huc revertatur et mentem suam instabilem nobis manifestet. Inferis proferat suam novam doctrinam; ibi, sicut vult, diu noctuque rhetoricam suam manifestet; non enim timemus ne illos dividat declamatione sua adversus orthodoxiam, 15 morti subiciens naturam immortalem: eum enim lapidabunt non solum ii qui divina scientia eruditi sunt, sed etiam Nemrod, et Pharao et Sennacherib et si quis est eorum similis Dei impugnator.» Haec quidem ad Iohannem Antiochiae; similia autem * ad alios multos semper scribebat, revelans foeditatem *p. 257.
20 heterodoxiae suae. Multa quidem sunt; decet ut aliqua eorum referantur:

Ex epistula eius ad Andream episcopum Samosatae, cum legisset epistulas beati Cyrilli ad Acacium episcopum Halebi[3]: « Exigit autem subscriptionem damnationi ab eis factae, et 25 anathema in doctrinam sancti Nestorii. Scit autem vestra sanctitas, quod si quis indiscrete doctrinam anathematizet philothei et sancti episcopi Nestorii praedicti, idem est ac si anathematizaret totam pulcram fidem.»

Rursum, ex epistula eius ad Alexandrum hierapolitanum[4]: 30 « Existimo plusquam omnes persuasum habere dominum meum sanctum et piissimum episcopum Iohannem, me denegare assensum depositioni domini mei venerabilis et sancti episcopi Nestorii.»—Et rursum ad eumdem[5]: « Ecce iam dixi tuae sanctitati, tantum abest ut anathematizem doctrinam domini mei vene-

[1] I *Reg.*, XVII, 26. — [2] Intellege: Cyniscum Luciani in Dialogo inscriptus Tyrannus (*Dialog.* XIV). — [3] *Patr. Gr.*, t. LXXXIII, col. 1489. — [4] *Ibid.*, col. 1490; cf. t. LXXXIV, col. 674. — [5] *Patr. Gr.*, t. LXXXIII, col. 1488; t. LXXXIV, col. 674, 714.

rabilis et sancti episcopi Nestorii, ut ne communicem quidem cum eis qui hoc faciunt.»

Item, ex epistula quam scripsit, postquam Epheso reversus est, ad monachos Orientis[1]: « Huius autem rei auctores sunt qui apostolicam fidem corrumpere tentarunt, et in evangelica doctrina dogma quoddam perversum introducere ausi sunt, et Capitula impia Cyrilli acceperunt, quae etiam cum Anathematismis in urbem regiam miserunt, postquam ea etiam firmaverunt, ut arbitrati sunt, suis subscriptionibus. Haec ab amara Apollinarii radice manifesto pullularunt; participant etiam impietati Arii et Eunomii; si autem quis diligenter scrutari voluerit etiam ab impietate Valentini, Manis, Marcionisque non immunes erunt. [*Et post plura*:] * Tales sunt illius Aegyptii fetus; revera, pravi genitoris magis prava proles.» (* p. 258.)

Item, ex eius epistula ad Nestorium, cum esset in exilio[2]: « Eis quae in iniquitate et trangressione legis facta sunt adversus sanctitatem tuam, etiam si quis mihi amputaret ambas manus, non consentirem acquiescere.»

Quomodo in omni impudentia blasphemabat coram omnibus, scire licet ex his quae in ecclesia Antiochiae, in ordine doctrinae loquebatur. Aliquando, audita morte beati Cyrilli, ita incepit[3]: « Laetentur caeli et exultet terra: periit draco aegyptius!» Item, cum doceret, adstante Domno episcopo ipsius Antiochiae, haec dixit[4]: « Iam nemo cogat socium suum blasphemare. Ubi sunt qui dicant Deum esse qui crucifixus est? Non crucifigitur Deus; homo crucifixus est Iesus Christus.» Et, post nefandam garrulitatem aliorum verborum huiusmodi: « Iam non est contentio: Oriens et Aegyptus sub uno iugo sunt; mortua est invidia et cum ea obruta est contentio. Iam quiescant theopaschitae.»

Propter haec omnia ergo, et blasphemias eius alias, facta est depositio Theodoreti a synodo secunda Ephesina.

Et glorians quod propter haeresim tantum eadem ipse patitur ac Nestorius, scripsit ad Iohannem Germaniciae haec[5]: « Quasnam ob caedes et maleficia expulsus sum ego? Quae adulteria

[1] *Patr. Gr.*, t. LXXXIII, col. 1417. — [2] *Ibid.*, col. 1485. — [3] Cf. *Ps.* XCV, 11. Locum Theodoreti non repperi. — [4] *Patr. Gr.*, t. LXXXIV, col. 61; *Patr. Lat.*, t. XLVIII, col. 1083. — [5] *Patr. Gr.*, t. LXXXIII, col. 1409

commisit Theodoretus? Quae sepulcra perfodit Theodoretus? Evidens est ipsis Barbaris quod propter fidem tum me tum alios eiecerunt, nam etiam dominum Domnum, quod Capitula non reciperet, deposuerunt viri * optimi, qui ea proclamant omni laude digna et profitentur se illis acquiescere. Ego enim eorum depositionem[1] legi.» (* p. 259.)

Propter impietatem itaque et blasphemias huiusmodi, et postquam haec lecta et recitata fuerunt coram synodo Ephesina secunda, lectae sunt quoque litterae beati Dioscori ad Domnum, quibus ab eo postulat ut prohibeat Theodoretum quin doceat coram ecclesia perversam opinionem Nestorii, et etiam litterae ipsius Domni ad sanctum Dioscorum, quibus decertat pro doctrina Theodoreti, quasi orthodoxa esset, impugnans duodecim Capitula eius qui cum sanctis est, Cyrilli; dati sunt praeterea adversus Domnum libelli a quibusdam viris fide dignis, et comprobata sunt quae eis continebantur: itaque cum omni convenientia fecit sancta synodus depositionem eorum.

Num itaque, post haec omnia et similia, necesse erat ut corporaliter adfuerint istae personae impiae, audacter qui velit dicat! Haec agitata sunt et provisa coram synodo Ephesina secunda, propter Hibam, Theodoretum, et Domnum episcopum Antiochiae. Si quidem facta sunt talia in congregatione legali Petri, Alexandriae, propter ea quae imputabantur beato patriarchae nostro, qui potest ostendat. Si autem id demonstrari nequit, « desinamus pervertere vias rectas Domini » ne etiam nos merito audiamus[2].... Et quod affligens est taceo. — Explicit capitulum tertium.

* Capitulum quartum. — Severus cum synodo sua duos episcopos Apamenses deposuit cum non vocati essent, et Epiphanium Tyri similiter, ut ostendit Xenaias in epistula ad monachos de administratione ecclesiastica[3]. Et alii ab aliis, rursum. Qui autem aliquid facit cum habeat exempla paterna, is canonice agit, ut testatur s. Severus ad Theophanem scholasticum[4]. (* p. 260.)

[1] Gr. καταθέσεις. — [2] Cf. *Act. apost.*, XIII, 10-11. — [3] Cf. W. WRIGHT, *Catalogue of Syriac Mss. in the British Museum*, p. 969, col. 1. — [4] Cf. E. W. BROOKS, *Letters of Severus* (*Patr. Or.*, t. XII. p. 309).

Respŏnsio et solutio obiectionis. — Audivimus hoc capitulum. Puto quod, etsi non me sibi obviam habuit archimandrita dominus Iohannes, iam tamen plane novit simplicitatem meam, cum iocans et sine sollicitudine haec componeret. Virum enim, ut vos dicitis, adeo eruditum in scripturis, et habentem experientiam rerum ecclesiasticarum, latere non poterant haec omnia. Persuasum enim habemus nihil esse quod magis dehonestat sacerdotem quam depravata fides et rebellio adversus principem suum legitimum, id est, adversus totam hierarchiam et universos canones ecclesiasticos.

Examinemus igitur negocia virorum commemoratorum, et primum quidem Epiphanii Tyri, eo quod sedes Tyri honoratior est omnibus sedibus etiam metropolitis.

Videamus quid testetur de eo patriarcha theophorus Severus, et primum circa depravatam eius fidem. Scripsit itaque in epistula ad orthodoxos Tyri haec: « Propter autem blasphemiam quam ore suo protulit impius Epiphanius, cum occasione sententiae evangelicae: 'Ne timeatis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere', dicit: Ecce corpus mo-
* p. 261. ritur, anima autem non potest * mori; et inde id concludit: quod non deceat profiteri Deum passum esse in carne, dicimus.»

Eiusdem, ex epistula ad Archelaum lectorem. — « Nihil mirum est si Clementius, qui est ex urbe magna Alexandria, cum venerit Tyrum propter olei emptionem, reprehenderit iniquum Epiphanium, qui inebriatus insania iudaica Nestorii, in omni imperitia et indisciplina, nescit quid dicat aut quid affirmet, ut ait divus apostolus[1] de quibusdam qui tali imperitia laborant. » — Et rursum paullo post: « Et fiet, quia insanabiliter permanet, ut eius blasphemiis illaqueatur, et ita ut proferat ore suo blasphemiam quae detrudit in profundum, nudum et omni specie spoliatum. » — Et rursum, post pauca: « Illud enim: Quaeramus quis erat qui dixit: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me; aut: Quis ille qui supplicabat ut ab eo transiret calix; et omne nomen interrogativum pertinet ad impietatem nestorianam et eorum qui dicunt duas naturas post unionem ineffabilem, et duos christos et duos filios. Prout enim duas quasdam personas ponunt, ita interrogant utra sit. »

[1] Cf. I *Cor.*, xiv, 16.

Haec sufficiunt ad ostendendam pravam fidem Epiphanii. Qualis autem erat tyrannis et arrogantia viri, ut non solum beatum Severum, qui erat eius princeps, et synodum eius contemneret, sed etiam mandata defuncti imperatoris Anastasii, etiam dum trahit ad se, per munera et per dolosa commenta, etiam
* p. 262. principes civitatum, * id facile discemus ab epistula eiusdem Severi. Scribit enim ad Marinum episcopum Beryti, haec: « Epiphanius iniquus, Tyri lupus et non pastor, qui praeter cunctas regulas ecclesiasticas et praeter voluntatem misericordis imperatoris, praesumit detinere sedem metropolitanam huius loci, sicut tyrannus quidam arcem civitatis. Redargutus est ipsis factis, quod corrumpat scripturas divinas, et ardenter diligat placita lamentatione digna et impia Nestorii, et curat cum ipsis morte aeterna mori. Visus est Tyri in metropoli manu tenens libellum quemdam dementia Eutychis plenum. Hunc autem monstrabat claro Paulo, officiali gloriosi magistri, dicens: 'Non possum communicare cum viris qui tam impie sentiunt'; innuebat autem et designabat parvitatem meam. Idipsum etiam glorioso Calliopio, patricio et vicario[1] ducis[2] Orientis, in scriptis mandavit, dum misit eius Principatui etiam libellum hunc nugis et insania refertum. »

Rursum, eiusdem Severi, ex epistula quam scripsit ad praefectum Tyri: « Quia Magnitudo tua allegavit, in his quae mandavit, negocium venerabilem episcopum Eliam respiciens, libere loquar. Erat verbum mihi afflictionem allaturum, quo non ut decebat afflixisti parvitatem meam. Te enim decebat sensum eorum quae tunc a misericordi imperatore prescribebantur inquirere; et in eorum vestigia progredi, non autem in oppositum ipsas litteras distrahere. Id enim, cum occupatus essem, ut vos
* p. 263. dixistis, neque tunc cogitavi, neque nunc dixi, * sed etiam gloriosus patricius et vicarius laudabilissimi ducis Orientis, per scripta valida quae ad vos misit, id notum fecit.»

Quid ergo indigemus abundantia et multiplicitate verborum, ut demonstraremus non solum prava fide nestoriana laboravisse hunc Epiphanium Tyri, sed etiam omni rebellione et immensa arrogantia usum esse erga beatum Severum et omnes qui cum eo; cum id sit omnino manifestum[3] et apertum, etiam eis qui, sicut

[1] τοποτηρητής. — [2] στρατηλάτης; infra: στρατηγός. — [3] Vide correct.

ego, mente stupidi sunt, ex his quae de eo scripta sunt. Ecce enim clare didicimus eum praeter voluntatem imperatoris sedem occupare, et praefectum induxisse ut in sensum suum pravum interpretaretur mandata imperatoris et nunquam adimpleret quae in eis *continebantur*. Virum qui adeo fidei oppositus erat et tanta tyrannide utebatur, quomodo potuisset beatus Severus ad se adducere, ut facie ad faciem, sicut postulat regula, probaret quae illi imputabantur, et ita eiceret eum? Et ad quid hoc indigebat? Non enim in secreto et occulte ostendebat pravam mentem suam Epiphanius.

Quoad assertum archimandritae Iohannis: « etiam duo episcopi apamenses depositi sunt, cum non vocati fuerant », nescio quomodo intellegat illud « apamenses »; nam neque nomina neque sedes eorum indicavit. Si significare voluit eos ex Apamea esse, respondebo: nunquam de eis audivi et nescio qui sint. Si autem fortasse de episcopis ⌈Arethusae et Larissae[1] vult loqui, qui erant sub sede Apameae *metropolis*, et contaminati erant prava * opinione Nestorii: accepi a viris bene edoctis et fide dignis, in tantam contumaciam et nequitiam lapsos esse hos viros, ut non solum venerabilem Petrum metropolitam eorum contemnerent, sed etiam legitime vocati a sancto Severo, et ab eis qui cum eo, despexerunt et contempserunt. Et sic postquam depositionem eorum fecit sanctus patriarcha, tanta audacia incoercibili ipsi usi sunt, ut non abhorruerint nec remiserint eius depositionem facere et ei mandare! Viri qui hoc fecerunt, quomodo consensissent convocationi et examini? In quo itaque similis est destitutio eorum negotio sancti patriarchae Mar Pauli? Qui noverit, dicat. Numquid latet quempiam cursus eius et omnium sociorum eius in Arabiam? Protractum tempus ibi egerunt in omni vexatione ob rigorem hiemis et pravos cibos, rogantes viros cuiuscumque ordinis et conditionis ut causa examini subiciatur, sit iudicium legale et omnia peragantur sicut postulat pulcra dispositio ecclesiastica. Quis autem ita solus peregrinus est in Ierusalem[2] ut haec ignoraret? Et ut haec omittam, ⌈quid faciemus[3] de altera, quae subsequuta est, profectione venerabilium episcoporum qui cum eis erant,

[1] Ms. « Arestan et Šaizar »; nomina antiqua et etiam hodierna. — [2] Cf. Luc., xxiv, 18. — [3] Ad verbum: « ubi ponemus? ».

et virorum senectute curvatorum, archimandritarum plurimorum coenobiorum, qui rursum in regionem Arabiae cucurrerunt in omni alacritate, medio hieme, obliti, ut ita dicam, debilitatem corporis, supplicantes cum lacrimis et adiurantes omnibus adiurationibus, in scriptis et viva voce, ut fiat negocii discussio et examen, sicut declarat protestatio[1] ab eis data Mar Antiocho per gloriosum * patricium Mundarum. Et eo tempore seipsos urserunt progredi adeo ut, prae vehementia frigoris et nivium abundantium, quidam eorum in itinere mortui sint et qui aegre evaserunt longo tempore variis morbis laboraverint.

Opportune itaque ad hoc capitulum dicenda est haec sententia divini apostoli[2]: «Quae participatio est iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis cum tenebris? Aut quae conventio Christi cum Satana? aut quae pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum daemonibus?» Manifestum ergo est, et lucidum sicut sol: quantum distat Oriens ab Occidente, recedit etiam negocium a negocio. Et id, sicut initio dixi, pro rusticitate mea scribo. — Explicit capitulum quartum.

Capitulum quintum adversarii: Quando fit episcopus secundum canones orthodoxos, si nonnulli ei se opponunt nec eum recipiunt propter passionem quamdam, opinio plurimorum stabit pro eo, ut testatur canon vicesimus synodi Antiochenae et sextus synodi Nicaenae. Idipsum docet Severus in epistula ad Dionysium, episcopum Tarsi, dum sermone universali, ita statuit: « Quia decet in his quae ad principatum spectant ut plurimis assentiremur », et « non eadem est ratio poenitentiae et principatus spiritalis. » Et Proclus, episcopus Cpolis, * factus fuerat *episcopus* Cyzici, et postquam factus est insurrexit civitas et alium pro eo creavit; ipse autem inde cessit, ut ostendit Socrates.

Responsio et solutio obiectionis. — Hic divinare cogor; donum enim prophetiae, propter foeditatem animae meae, a me valde remotum est. Non enim assequor quo sensu commemoravit hos canones archimandrita Iohannes; utrum pro creatione Petri Alexandriae, an erga ordinationem venerabilis papae Mar Theodori? Nullo enim modo pertinent aut spectant

[1] διαμαρτυρία. — [2] II *Cor.*, vi, 14.

ad causam sancti patriarchae nostri; sunt enim de electione et de institutione episcopi, non autem de huiusmodi negocio. Propter obscuritatem sensus ad utrumque referemus coniecturam; examinabimus quid praecipiunt canones isti, et sic scrutabimur negocium uniuscuiusque ex viris commemoratis.

Praecipiunt itaque canones quos praeposuit archimandrita Iohannes, propriis verbis, haec:

E canone sexto sanctae synodi patrum, Nicaeae: « Si autem communi suffragio omnium, rationi consentaneo, et secundum canonem ecclesiasticum, duo aut tres propter suum animum contentiosum contradicant, obtineat et valeat sententia plurimorum. »[1]

E canone undevicesimo synodi Antiochiae — per errorem appellatur a sapiente Iohanne vicesimus —: « Si autem iuxta praefinitum canonem ordinatio facta fuerit, nonnulli autem per contentionem contradicant, valeat et obtineat sententia plurimorum.» [2]

Si igitur adversus ordinationem venerabilis Mar Theodori, haec protulit archimandrita Iohannes, * dum supputat maioritatem eorum tantum qui Alexandriae ipsius opinionem profitentur, vultum autem suum voluntarie et haud inconsulto avertit a turpi eorum contentione, quid prohibet nos iungere manus et venerari institutionem antiqui Gaiani? Maiorem enim partem populi Alexandriae, aut, ut accuratius dicam, *totum populum cum eo fuisse, optime notum est.* Sed non propter eius solitudinem strenuum athletam Theodosium dereliquit sapiens in divinis Severus, nec cum plurimis fuit; et lucide manifestant eius synodicae litterae ad hunc verum episcopum, quomodo iudicaverit et in quibus assimilaverit negocium uniuscuiusque.

Si autem pro mira institutione dicti Petri hos *canones* adduxit castus vir, nos instantissime rogamus die nocteque, ostendant nobis legitime congruam et secundum canones ecclesiasticos fuisse Petri institutionem Alexandriae, prout praecipit canon CCCXVIII patrum sanctorum: et ecce deletur scandalum a radice, et inclinatum est collum nostrum in concordiam

* p. 267.

[1] *Codex canonum universae ecclesiae* (*Patr. Lat.*, t. LXVII, col. 41). — [2] *Ibid.*, col. 65.

cum eis. Notum est et valde clare, et, ut ita dicam, materialiter palpabile est, ipsos sanctos patres hoc clamare quasi tubam, alta voce: « Si communi suffragio omnium, rationi consentaneo et secundum canones ecclesiasticos, duo aut tres propter contentionem contradicant, obtineat et valeat sententia plurimorum.» Valde igitur lucidum est, sicut sol fulgens: si non congruenter et non secundum praescriptiones ecclesiasticas facta est electio et manuum impositio, licet duobus aut tribus in pravum consensum plurimorum insurgere, et cohibere incrementum pravitatis, alta voce clamantibus et dicentibus: « Si vere iustitiam loquimini * recta iudicate, homines[1].» Non enim qui tales sunt, etiam si pauci sunt, sub culpam contentionis vituperandae cadunt, sed potius illi, etiam si multi sunt, qui fervore aemulationis ausi sunt instituere transgressorem quem prave optabant. Et id etiam confirmat, ut dictum est, theophorus Severus per adhaesionem suam Theodosio, qui cum sanctis est, contemnens multitudinem reluctantium, ut adhereat ei qui iussit[2]: « Ne sis cum plurimis ad malefaciendum.»

* p. 268.

Item, commemoravit archimandrita Iohannes historiam ordinationis beati Procli in civitatem Cyzicum, volens per exempla antiqua demonstrare non reprobandum esse insurrectionem factam adversus ordinationem venerabilis papae Mar Theodori. Sumpsit relationem ex historiis Socratis. Videamus ergo quomodo is narret huiusmodi factum:

E libro septimo Socratis, capite duodecimo: « Necesse est ut narremus quod accidit diebus Sisinnii. Cum mortuus esset episcopus Cyzici, fecerat Sisinnius episcopum Cyzici Proclum. Cum autem is paratus erat proficisci in civitatem, insurrexerunt Cyziceni et sibi fecerunt episcopum virum monachum nomine Dalmatium, et transgressi sunt legem quae prohibet ne praeter voluntatem episcopi Constantinopolis fiat ordinatio episcopi. Contempserunt hanc legem eo quod personae tantum Attici concessa est. Mansit itaque Proclus, et cum non haberet ecclesiam studiose docebat in ecclesia Constantinopolis.»

Intellegere debet qui audit, scriptorem primum accusare * Cyzicenos transgressionis legis; et dein dicere quare contempserunt legem: quia id soli Attico concessum fuit. Et beatus Pro-

* p. 269.

[1] *Ps.* LVII, 1. — [2] *Exod.*, XXIII, 2.

clus mansit Constantinopoli habens nomen, ordinem et honorem episcopi. Et id fecit propter magnam suam humilitatem et longanimitatem. His enim, ut testatur scriptor, magis quam beatus Atticus ornatus erat. Dalmatius autem, qui ei successit per transgressionem Cyzicenorum, evidenter creatus est ab episcopis quibus erat potestas ordinationis faciendae, etsi digni sunt reprehensione eo quod annuerunt et assensum darunt eis qui legem conculcaverant, mori obsequentes qui tunc vigebat.

Rectus autem Petrus, cum aemulatio quorumdam Alexandrinorum conculcavisset, magis quam Cyziceni, legem antiquam ordinationum regularium, creatus est a quibusdam viris potestate ordinandi qualicunque destitutis, eo quod nondum obtinuerant dimissorias litteras sui sacerdotii; ita ut inveniatur *Petrus* transgressor legis dupliciter: primum, quia, cum iam elapsi erant quadraginta dies et amplius ex quo alter institutus erat legitime et canonice, prout tempus permittebat, consensit ut crearetur; secundo, quia, ut dictum est, impositionem manuum accepit a viris quibus non licebat ex legibus ecclesiae aliquid huiusmodi attentare. Cyziceni eo tantum deliquerunt quod post iam institutum beatum Proclum creaverunt Dalmatium, quamvis per legitimos episcopos id effecerint, mori obsequentes qui tunc vigebat. Videntur praeterea habuisse excusationem suae audaciae, eo quod * existimabant, quadam novitate iuris, illam legem beato Attico soli concessam esse. Confidebant fortasse ipsos quidem cum omni convenientia fecisse id quod fecerunt, quia secuti sunt consuetudinem ubique vigentem, ordinationem autem beati Procli fuisse incongruentem, quia nondum, ut notum est, firma erat nec ubique vigebat haec pulcra regula. Isti autem qui nunc *rem egerunt*, vel specie huiusmodi excusationis carent. Non enim satis fuit eis haec et similia audacter patravisse, sed etiam, proprio marte, nomine et honore summi sacerdotii papam Mar Theodorum spoliaverunt; et secundum verbum eius qui canit : Eiecerunt dilectum tanquam mortuum immundum[1], meditati sunt et dixerunt: In fortitudine manus meae feci, et iuxta sapientiam meam, quia intellegens sum[2]; et reliqua. — Explicit capitulum quintum.

* p. 270.

[1] Vide correctiones. — [2] Cf. Is., x, 13.

Capitulum sextum. — Theodorus qui factus est episcopus a Longino, sine consensu eorum qui ecclesiam Alexandrinorum gubernabant et episcoporum qui ibi aderant, Iosephi et Iohannis, creatus est. Non enim data est ei licentia nec « quem velis fac », nec « talem », nec « cum eo quem velis ». Et id dum in libertate, gratia Dei, administrabatur ecclesia huius loci, et noti erant eius rectores, gubernatores et episcopi.

Responsio et solutio obiectionis. — Tempus mihi est dicendi: « Ventrem meum, ventrem meum doleo, et sensus mei turbati sunt in me »[1]; quia ecce, ut video, dileximus loqui iniquitatem magis quam iustitiam[2]; et id persuasum habeo quod, si pro * honestate nobis sit sollicitudo, conscientiam nostram mundare debemus ab inimicitia et contentione, et recte, in caritate, sicut decet christianos, maxime vero castum habitum Deo familiarem monachismi, res scrutari et in omni veritate loqui. Existimo neminem latere eorum qui sunt in imperio Romanorum, quod iam a diuturno tempore, non gaudet ecclesia Orthodoxorum congruenti libertate ut aperte omnia agat quae decent, sive Alexandriae, sive in alio loco. Si id falsum sit, quomodo Alexandrini « qui omni libertate gaudebant, secundum assertionem archimandritae Iohannis, et palam agebant, et quorum principes et duces et episcopi noti erant », consensissent ut orbata summo pontifice remaneat ecclesia eorum spatio annorum novem et amplius: cum omnino vetant canones quin plusquam tempus trium mensium vidua maneat ecclesia. Si itaque hoc contempserunt cum *perficere* valerent, manifestum est eos praescripta canonum conculcavisse; sed si vi metus id tolerarunt tam protracto tempore, dum multa apud ipsos fiebant inordinate et praeter canones, sicut nonnulli duces eorum testati sunt in suis epistulis, evidens est non cum libertate administratam fuisse huius loci ecclesiam.

Venerabilis itaque Longinus episcopus, prout concedebat tempus opportunitatem, voluit creare eis summum pontificem, studens quod necessarium erat perficere et ecclesiam servare sine periculo qualicunque. Et id perfecit postquam a ducibus eorum sollicitatus fuit, sicut testantur eorum epistulae ad ipsum datae: quae etiam definiunt hanc magnam libertatem

* p. 271.

[1] Ierem., iv, 19. — [2] Cf. *Ps.* li, 3.

qua regebatur ecclesia eorum. Etsi enim in suis epistulis non * ausi sunt aperte negocium ordinationis tractare, quamvis id, sicut ipsi innuunt, valde cupiebant, omnino notum est eos per viros sibi fidos huiusmodi epistulas misisse. Venerabilem Longinum omnes tanquam ducem habuisse, et ad eum pertinuisse huiusmodi negocium, inde confirmamur quod omnes ad ipsum scripserunt, deprecantes eum pro negocio *perficiendo,* et post ipsum, *ipso deficiente,* solum Theodorum Philarum. Si enim persuasum habuissent cuidam, aut ex illis episcopis qui aderant Alexandriae, aut e ceteris administratoribus ecclesiae talem potestatem fuisse, quid prohibebat hunc neglegere qui erat in populo Nubiorum, in loco remoto, tanto itinere multis et variis periculis pleno, ut hi quibus nullum erat impedimentum crearent eis pontificem, et finem imponerent perturbationibus apud ipsos exortis, de quibus lamentantur in suis epistulis. Aderant enim Iohannes Cellarum, et Antoninus, et Antoninus *alter,* qui creaverunt Petrum. Mirum mihi est quamnam ob causam, tunc quidem illos neglexerint, cum adessent et ecclesia capite indigeret, et miserint supplicationes in regionem adeo remotam; postquam autem exposuit vitam suam multis modis venerabilis Mar Longinus et adimplevit petitionem eorum ipsum contempserint et reppulerint eum, et subito conversi sint ad eos quos antea neglexerant.

Quid autem scripserint cum rogarent praedictum venerabilem virum, iam tempus est videndi.

Ex epistula quam Theodosius, presbyter et ecclesiae iurisconsultus[1], scripsit ad venerabilem Mar Longinum. « Rogantes pacem vestram[2] notum vobis facimus per has * breves nostras litteras quod tanquam patres dilectos et episcopos[3] tenemus sanctitatem vestram; et hac in parte gradimur post virum venerandae memoriae, magistrum nostrum et archiepiscopum Theodosium. Cum autem eadem scripsimus piissimo Theodoro[4] et vobis, rogamus ut anima una et mens una vobis sit cum piissimo episcopo Theodoro, ut, quo possetis tempore, manum auxiliatricem porrigeretis ecclesiae sanctae Dei, quae propter peccata nostra in periculo est. »

[1] ἐκκλησιέκδικος. — [2] I. e. « vos salutando ». — [3] Sic; plur. maiestatis. — [4] Ep. Philarum.

Item, ex epistula diaconi Theodori Copris ad eumdem venerabilem Longinum, in qua eadem deprecatur. « Quia nunc se iunxerunt nonnulli Epiphanio, e factione Eusebii, quae adversatur factioni Pauli τῶν Μελάνων[1], et ministraverunt cum Clementino[2], praeter consilium totius ecclesiae, et exierunt cum dedecore, et hucusque foras sunt: tristitia non parva nos gravat, quia facti sumus in derisum inimicis nostris. Ad id etiam adduxerunt eum ut ordinationes faceret. Haec autem omnia acciderunt quia non habemus archiepiscopum. Itaque Vigilantia vestra opus est ne sine sacerdote maneat ecclesia sancta Dei. Etenim, Iosephus, piissimus episcopus Metelis, convenire cum Iohanne episcopo Cellarum hucusque non consensit. Multum autem laboravimus ut ei adsisteret cum ipse manum imponeret: sed noluit. Ut autem sciatis angustias ecclesiae sanctae scripsi. Nolite vestras orationes et sollicitudinem abrumpere, ne forte pereat pusillus grex pro quo mortuus est Christus. Potestis enim vos, per loca ignota, convenire in regionem Mareotidim et, protegente vos Deo, necessaria perficere, et deinceps in loca vestra * redire. Et haec ut demum apud vos fiant rogo. »

Aperiamus oculos nostros duplices, inclinemus aures nostras, attente defingatur intuitus noster et videamus, audiamus, intellegamus. Et primum quidem quod iam non in libertate administrabatur ecclesia Alexandriae, quemadmodum statuit in suis scriptis castus Iohannes. Quid enim testati sunt administratores eius in suis epistulis? « In periculo est et in angustia »; et « omnia haec acciderunt quia non habemus archiepiscopum » et « ne pereat pusillus grex pro quo Christus mortuus est. » Item, intellegere debemus quod ipsi venerabilem Mar Longinum et Theodorum Philarum tantum rogaverant circa rem agendam, et cum quanto timore dirigunt illum ut veniret per loca ignota et Mareotidim. Iam manifestum est eos in tremore fuisse et rogavisse, si autem ad ipsos hoc pertinuisse aestimamus, ut faceret, et tali loco faceret, et cum quo faceret: unum solum deest, nempe quem faceret. Et in Mareotide eum revera fecisse ordinationem, sicut rogaverant, apprime notum est.

orationum vestrum *officium* est *praecavere*

[1] I. e. « Beth Uchamē »; ' u k a m a, syriace « niger ». — [2] Alias Clementius.

Theodorus autem Philarum cum non posset venire, ob timorem eorum qui ecclesias detinebant, ut ipse scripsit, rogaverunt Mar Longinum ut eius loco rem perficeret, cum Iohanne et Georgio venerabilibus episcopis. Id ostendit ἐντολικόν quod fecit, in quo inter alia haec habentur:

Excerptum e mandato Theodori. «Quia non possum, ut suadet sanctitas tua, discedere e regione mea propter dolum eorum qui nunc ecclesias detinent, his litteris usus sum, dum persuasum habeo et suadeo beatitudini vestrae * ut vices meas geratis et id perficiatis, et instituatur is qui dignus est, et aptus praedicare doctrinas orthodoxas beatorum patrum nostrorum, scilicet Severi et Theodosii, in aedificationem sanctae ecclesiae, secundum praedicationem apostolicam. Et si ita est, gavisus sum et particeps sum ordinationis, et quasi ibi adessem mihi videor extendere manum. Et deprecor Deum salvatorem nostrum omnium ut porrigat manum sanctitati vestrae et fratribus nostris qui sunt cum ea, venerabilibus episcopis ex Oriente, vobisque concedat felicem exitum. In confirmationem ecclesiae sanctae, propria manu scripsi. »

Iterum eadem dicere cogor: videamus, audiamus, intellegamus. Ipse Theodorus Philarum per suam orationem et suam suasionem, loco suae manus, ut ita dicam, assensum dedit et unitus fuit venerabilibus episcopis ex Oriente, id est, Mar Iohanni, et Mar Georgio, et sancto Mar Longino, quoad factum ordinationis. Ad verbum enim ait: « Gavisus sum et particeps sum ordinationis, et quasi ibi adessem mihi videor extendere manum ». Et, ut sermonem iterarem, ecce Mar Longino et eis qui cum eo fuerunt, administratores ecclesiae Alexandriae et Theodorus Philarum suaserunt et indicaverunt etiam locum in quo id perfici deceret. Ei autem eos dimisisse electionem personae, facile intellegere possumus ex his quae ad eum scripserunt: «Potestis enim vos per loca ignota venire Mareotidim, protegente vos Deo, et necessaria perficere, et deinceps in loca vestra redire.» Ita etiam Theodorus Philarum, qui et ipse ait: «Persuasum habeo et suadeo beatitudini vestrae ut vices meas geratis et id perficiatis; et instituatur is qui dignus est * et aptus paedicare doctrinas orthodoxas beatorum patrum nostrorum praedictorum. »

Si autem post initium perturbationis adduxerunt Theodorum Philarum in eo ut contendat per quamdam epistulam se revocasse tale mandatum legitimum, omnino evidens est id nequaquam acceptandum neque ordinibus ecclesiae, neque legibus civilibus . Quod autem Iohannes Cellarum non poterat participare facto ordinationis, quia ei discors erat Iosephus Metelis, manifestat clarissime epistula diaconi Theodori Copris; ad verbum haec significat: « Etenim Iosephus piissimus episc. Metelis, convenire cum Iohanne episcopo Cellarum hucusque non consensit; laboravimus autem ut ei adsisteret cum ipse manum imponeret, sed noluit. » Itaque clare nobis notum est neque Iohannem Cellarum ab omni vituperatione immunem esse, qui potuerit partem habere in ordinatione. Discors enim ei erat Iosephus, quia communicaverat in ministerio cum quibusdam viris qui manuum impositionem susceperant a Clementino; qui hodie est antistes, ut ita dicam, legitimae congregationis Alexandriae; vir qui, neque vivente sancto Theodosio, neque post eius migrationem ad Deum, toto tempore quo pulcra ordinatio vigebat in ecclesia, ingressum qualemcumque in ecclesia Alexandriae obtinere potuit. Videamus quid dicat hac de re diaconus Theodorus praedictus: « Quia nunc se iunxerunt nonnulli Epiphanio, e factione Eusebii, quae adversatur factioni **Pauli** τῶν Μελάνων, et ministraverunt cum Clementino, praeter consilium totius ecclesiae, * et exierunt cum dedecore, et hucusque foris sunt: tristitia non parva nos gravat, quia facti sumus in derisum inimicis nostris. Ad id etiam adduxerunt eum ut ordinationes faceret. » Vir propter quem in derisum facta est ecclesia, et cuius asseclae ab ea reiecti sunt, remoti sunt, et exierunt cum dedecore, qui etiam repulsus fuerat, ut dictum est, a beato Theodosio, nunc est antistes, ne dicam caput factionis, sicut ostendit subscriptio eius in epistulis paullo antea missis Alexandria, quae plenae sunt omnis veritatis, omnis congruentiae, omnis regularitatis ecclesiasticae! Christus Deus, caput verum ecclesiae verae, iudicet quae sunt in eis *epistulis*, in hoc mundo et in futuro.

Si autem volumus concedere quod Iohannes Cellarum debuerat saltem aliquo modo scire secretum ordinationis, etiam quaenam, cum illud percepisset, scripserit ad venerabilem Mar

Longinum, opportunum tempus est nunc videndi ad amplius veritatis stabilimentum.

Ex epistula ipsius Iohannis ad venerabilem Mar Longinum: « Persuasum vobis sit vere, quod nullo modo insurgo adversus id quod a vobis factum est, sed in omnibus opinionem vestram 5 sequor circa negocia ecclesiastica quae aguntur. Scio enim quantum me spiritaliter dilexistis ab initio, et vos sollicitos esse ut in omnibus vestigia sequamini beati patris nostri et archiepiscopi Theodosii. Itaque, per Dominum nostrum, nolite ambigere de Tenuitate mea, et certi estote me nemini notitiam da- 10 turum adventus vestri, sine licentia tua, nec me ullo modo adversus voluntatem vestram insurrecturum; sed, ut dictum * p. 278. est, in omnibus * adhaereo vobis, sicut patribus spiritalibus qui custodiunt traditiones paternas et apostolicas. Quoad Clementinum, minime neglexi, cum audivissem sanctitatem vestram 15 et venerabilem Mar Theodorum episcopum in scriptis eum reprobavisse, sed dando fidem, sedulo et ego id feci, et eum ecclesiae sanctae Dei extraneum reputavi tanquam perturbatorem, et tanquam virum qui contra canones ecclesiae et sancti papae egit; et nunquam recipiam eum absque vestra voluntate et 20 licentia in scriptis *data.* » Intellegamus, per Dominum nostrum, quomodo etiam is strenue confirmat, in omnibus rebus ecclesiasticis, in vestigia beati Theodosii consequenter gressum esse venerabilem Mar Longinum; propterea affirmat ipse Iohannes se in omnibus sententiam eius sequi et nunquam ei adversa- 25 turum: « sed in omnibus adhaereo vobis, tanquam patribus spiritalibus, qui custodiunt traditiones paternas et apostolicas ». Evidens est eum propter negocium ordinationis haec scripsisse; et illa testatum esse de Clementino antistite novae sedis. Quod autem Iosephus Metelis, eo tempore quo pervenerit Mar 30 Longinus in hanc regionem, in gravi morbo fuerit, quo post paucos dies mortuus est, scitu facile est ei qui indagare velit.

Per haec omnia clare notum fit non absque voluntate eorum qui ecclesiam Alexandrinam dirigebant factum fuisse quod decebat; neque eos libertate gavisos esse. Hac de re testatur 35 praesertim adscensus eorum honorabilis et verecundus Constantinopolim, et commoratio eorum illuc protracta usque ad quadragesimam elapsam. Quomodo autem liberati sint et inde

descenderint, testatur gloriosus patricius Mundarus et charta quam fecerunt * coram eo, et quam vir iste monstravit Deo qui * p. 279. omnia noscit et hominibus quos decebat. Quod ipsi rogaverint venerabilem Mar Longinum, ipsi iusserint ut cum tali viro 5 faceret, ipsi indicaverint etiam locum; quod omnes uno ore ei commiserint electionem personae; ille autem, prout tempus dabat opportunitatem, omnia cum vigilantia fecerit: haec accurate ex supra narratis didicimus. Quare autem, omnibus ita congruenter peractis, subito cum stupore *res* subversae sunt, 10 et perturbatus est ordo pulcher et praeclarus, suprema facta sunt infima et infima suprema, reprobati inventi sunt electi et electi reputati sunt reprobati? Pro hac re, apologiam faciendam archimandritae Iohanni relinquo.

Stupore et miratione vere dignum est, et fortasse supra 15 cogitationes virorum etiam valde solertium et astutorum, quare cum venerabilis Longinus invitatus esset ad ordinationem, et cum posuisset animam in manu, ut ita dicam[1], et hanc faceret, formido, terror et tremor omnes invaserant et nemo erat qui mussitaret etiam inter dentes, ut accidit; dum ex altera parte, 20 cum Antoninus, Antoninus, Iohannes et qui cum eis, facerent laudabilem ordinationem Petri, in omni libertate, in omni securitate, et Alexandriae in ipsa civitate, ut ita dicam, hanc facerent: nemo tamen reclamaverit, murmuraverit, culpaverit aut conquestus sit. Evidens ergo est etiam pueris, et rudibus, et stu- 25 pidis qualis sum, in voluntaria avulsione vultus, in relaxatione, ne dicam inspiratione, id factum fuisse vicinorum nostrorum potestatem detinentium, qui satagunt ut occurrat eis occasio opprobrii, ludibrii et derisus singulis diebus: quod etiam fuit usque hodie, propter peccata nostra. Parcamus ergo nobismet- 30 ipsis; et abstineamus, quanquam tardius, trudere * gladium ini- * p. 280. micorum in corde nostro, et studeamus ut adimpleatur quod scriptum est: cessemus loqui iniquitatem in altis et ponere os nostrum in caelo, dum lingua nostra ambulat in terra[2]. Aperiamus oculos mentis nostrae et ianuas aurium nostrarum et 35 intellectus nostri perceptioni verae iustitiae, et comprehensioni pulcrae ordinationis, et perfectioni optimae congruentiae; ne forte merito nos alloquatur qui dicit[3] «auditu audietis et non in-

[1] I. e. « se devovit ». — [2] *Ps.* LXXII, 8, 9. — [3] Is., VI, 9, 10.

tellegetis, visu videbitis et non perspicietis. Induratum enim est cor huius populi, et auribus suis graviter audierunt; et oculos suos compresserunt ne videant oculis suis et audiant auribus suis et intellegant cordibus suis, et convertantur et sanem eos ». Absit ut talia nobis accidant! per gratiam et misericordias plurimas eius qui verbum pronunciavit. — Explicit capitulum sextum.

Capitulum septimum. — Vituperatur apologia Mar Pauli, primum ob sectionem peccatorum quae fecit: peccatum illud quod sibi elegit; ob sectionem quam composuit, in qua dicit « qui peccavit, is non indiget poenitentia », et huius rei exemplum posuit rationem agendi Apostolorum qui suaserunt Paulo ut ascenderet in templum et purificaretur.[1]

Responsio et solutio obiectionis. — Cum haec verba audirem, merito ingemui dum considerabam duritiem perversae voluntatis hominum; et opportune ausus sum personam beati patriarchae nostri induere, et clamare, quasi eius nomine: « Libera, Domine! nam consummatum est bonum, et defecit fides * in terra, et homines vana loquuntur; et circumdederunt me verbis odii, et impugnaverunt me gratis; et pro eo ut diligerent me oderunt me, et oderunt me quia quaesivi bonum.[2] » Si christiani sumus, si saltem christianum reputamus hunc sanctum virum, sicut suadet ipse pater vester Petrus per epistulam primam ad Mar Iacobum, cogimur omnino fidem dare iuramentis et imprecationibus, quae reformidant ipsi daemones, quae apposita sunt in eius subscriptione ad suam apologiam, quibus manifestat tanquam christianus christianis totam mentem suam absconditam et apertam: quae etiam recitata sunt in capitulo primo. Si enim eius conscientia nullo modo pungebat eum, tamen propter recreationem superborum et stabilimentum concussorum, facile potuit fidem dare verbo sacro dicenti[3]: « Iustus in principio sermonis accusator sui est », et rursum illi qui docuit et dixit[4]: « Quicumque se humiliat exaltabitur »; et currens ad poenitentiam lucrum multiplex ex ea collegit, non solum quia perfecte in ea purificavit se, etiam a defectibus quos tanquam homo

* p. 281.

[1] Vide supra, p. 160. — [2] Cf. *Ps.* XI, 2; CVIII, 3. — [3] *Prov.*, XVIII, 17. — [4] LUC., XIV, 11.

habuit, sed etiam quia, pulcrum speculum humilitatis factus, non odio, non vituperio, non repulsione dignus fuit, sed laude, et dilectione, et festinatione ad unionem. Si enim hac de causa vituperatione dignus est, quid prohibet quin culparemus omnes iustos, qui dum omnem iustitiam implebant, confidebant se magis gratos esse Deo cum seipsos humiliabant et demittebant, peccatores et delinquentes se reputabant et vocabant? Persuasum enim habebant « nullam carnem mundam esse coram Domino[1] ». Si autem non, quam iniquitatem, id est quam iustitiam, *non agnoscebat in seipso beatus David dum clamat[2]: « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me »; et iterum: « Lavavi singulis noctibus lectum meum, et lacrimis meis stratum meum rigavi »; et adhuc: « Peccata mea supergressa sunt caput meum, sicut pondus grave gravata sunt super me; putruerunt et corrupta sunt vulnera mea ». Et alia multa huiusmodi. Et haec non ob peccatum quod commisit in Uriam et huius uxorem, dicebat, ut testatur Iohannes archiepiscopus Cpolis, in tractatu ad Stelechium[3]. Undenam coniciemus territos fuisse iuvenes puros et praeclaros coetus Ananiae, qui alta voce clamabant[4]: « Propter peccata quae peccavimus, et impie egimus coram te, et recessimus a te, et transgressi sumus sermonem tuum, et peccavimus tibi in omnibus, et mandata tua non audivimus nec custodivimus et nihil fecimus ex his quae praecepisti, ut nobis bene sit. » Iam vero quid magis flebile et miserum et culpabile quam hae sententiae? Et qualem reputabimus Paulum vas electionis, et doctorem omnis iustitiae, qui sine pudore clamat[5]: « Quod Iesus Christus venit in mundum ad salvandum peccatores: quorum primus ego sum.» Et si vellem vel pauca ex huiusmodi effatis omnium iustorum adducere in maiorem confirmationem sermonis mei, nimis brevius esset tempus vitae meae: ab initio enim usque hodie, omnes qui placuerunt Deo his usi sunt. Eorum autem vestigia premens beatus patriarcha noster etiam operibus, in sua persona, quid nobis agendum sit docet, cum prompte peccamus aut suspicio peccati vere credibilis nobis imputatur; et quidem adhaerens doctoribus eius, nempe sanctae ecclesiae, id nobis tradidit. * Evidens ergo

* p. 282.

* p. 283.

[1] Cf. *Rom.*, III, 20. — [2] *Ps.* VI, 2, 7; XXXVII, 2, 5, 6. — [3] Cf. *Patr. Gr.*, t. XLVII, col. 415. — [4] DAN., III, 28-30. — [5] I *Tim.*, I, 15.

est: is qui eum vituperat, docet quoque eos qui secum sunt cogitare et dicere: « Domine, gratias tibi ago quod non sum sicut ceteri homines iniqui et peccatores, neque sicut ille publicanus », etc.[1] Opportunum est ergo, ad eos qui ita fervide et distincte vituperant eum et sese separaverunt ab eo ob 5 magnam eius humilitatem dicere, ut graviora silentio premam, verbum temperatum enunciatum in sacris Proverbiis[2]: « Causas invenit vir qui vult ab amicis suis discedere.» Ad ipsum autem fortasse meliore iure clamare ausus ero, mutans paulisper verba: « Ne sis nimium iustus, ne vituperareris a 10 vituperatoribus rerum pulcrarum! »[3] — Explicit.

Capitulum octavum: Quod attinet ad Moysen et Aharonem, et Macchabaeos, et Paulum, et alios.

Responsio et solutio obiectionis. — Paedagogum magnum, qui loco non discedit, nobis adiunxit creator noster misericors, 15 in salvationem animarum nostrarum: conscientiam quae est in nobis. Quod si non rebellaremus in eam, in minimis tantum peccaremus. Quare igitur insulse, ne dicam perfide, archimandrita Iohannes haec ita proponit, sermonem beati patriarchae non adiciens? Quia igitur id facere astute neglexit, nos non 20 omittemus.

Docet itaque sanctus vir, in apologia quam fecit, quam vituperat rectus archimandrita Iohannes, haec: « Viri enim sancti qui decertarunt non hanc rationem certaminum habebant; non enim suadebant *eis persecutores se, si ipsis con- 25 senserint, quod aequum est facturos. Istis Macchabaeis, qui vi abducebantur ut impurum comederent, non promittebat cum iuramentis Antiochus se, si paulisper gustaverint carnem porcinam, derelicturum cultum *suum* et conversurum ad legalem eorum religionem. Aliter enim, non minis, eo minus tantis sup- 30 pliciis opus erat. Ipsi enim maluissent huiusmodi compensationem, si leviter legem transgrediendo potuissent eum et omnes ei addictos plenissime liberare ab impietate. » Et post alia: « Igitur id quod Iacobus toleravi, qui cum experimentum fecisset iniustitiae, consentiebat rursum pactum facere cum 35

*p. 284

[1] Luc., xviii, 11. — [2] Prov., xviii, 1. — [3] Cf. Eccles., vii, 17.

socero suo, ut caperet quod diligebat. Pariter Moyses et Aharon tolerabant, ut opinor, quia cupiebant et volebant a servitute corporali liberare fratres suos, et promptius fidem praestabant Aegyptio qui decipiebat eos; et rursum eadem 5 tolerabant. Et haec cum ille *Aegyptius* esset barbarus et idololatra, et minime vestitu summi sacerdotii venerabilis. Et nemo dicat mihi: Illi non erraverunt et nihil fecerunt illicitum. Fortasse enim ratio est quod nihil tale ipsis proposuerunt. Attamen, etiam cum fecissent quae eis proponebantur, nihilo- 10 minus accidebat ut aliter opprimerentur, quanquam magna potestate donati erant et, ut ita dicam, in eorum arbitrio erat ut salvarentur eorum oppressores vel non. Neque tamen tantum bonum speraverunt quantum nos.»

*p. 285

*Utinam assensum praeberemus sapienti hortatori et non 15 contenderemus, sermone inutili, in eversionem audientium, perterriti minis prolatis: « Vae ei qui propinat proximo suo faecem turbidam[1]. Vae ei qui ponit lucem in tenebras, et dulce in amarum[2].» Optarem enim illum adiurationibus persuadere et hac de re veniam peto ab archimandrita Iohanne. Si quis, 20 qui id efficere possit, ei promitteret tantum eos qui nunc adhaerent beato patriarchae se conversuros et ipsius opinionem amplecturos, modo ipse consenserit carnem bovinam comedere per vigenti aut triginta dies, nonne summa facilitate diceret suae abstinentiae: Discede ad horam, valeas! et alacriter, cum 25 omni festinatione id faceret? quanquam optime persuasus eos, gratia Dei, christianos esse: non enim opinor eum assumere ut illos hoc *dono* privet. Quis christianorum, a rege Persarum firmam promissionem acciperet hanc: si comederit carnem asinorum aut bestiarum nobis impurarum, ipsum *regem* et omnes 30 ei subiectos in Christum credituros, non existimaret omnino incomparabile huiusmodi bonum cum illo obsequio, sicut non comparatur mare magnum cum parvo aquarum vasculo. Et ego opinor, vel ut accuratius loquar, confido, quod vituperant beatum patriarcham nostrum hac in re eo modo quo quis re- 35 dargueret beatum Davidem dicentem[3]: « Beatus qui timet Dominum; beati qui immaculati sunt in via; beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam omni tempore »; et contenderet

[1] Habac., ii, 15. — [2] Is., v, 20. — [3] Ps. cxi, 1; cxviii, 1; cv, 3.

diceretque eum talibus maledictionem non autem beatitudinem dedisse.

* p. 286. Si enim * admittimus sanctos ita recusavisse ne concederent fictitie quid minimum propter salvationem plurimorum, crudelitatis, superbiae et neglegentiae in observatione mandatorum Dei eos incusamus. Non latuisse sanctos Macchabaeos mandatum quod dixit[1]: « Dilige Dominum Deum tuum ex tota virtute tua, ex tota anima tua, ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum », omnino profiteri cogimur. Etiam beatos Moysem et Aharonem plenos fuisse gratia divina et cognovisse divinam voluntatem, vel ante datam legem scriptam, dubitare non licet, opinor. Non igitur recusabant hi sancti in se suscipere detrimentum magnum ipsis solis obventurum, ut plurimi proficiant et salvarentur; quia optime persuasi erant indicium veri amoris erga Deum et perfectionem eius voluntatis esse salutem hominum. Ad id confirmandum videamus quid dixerit beatus Moyses ad Deum, cum merito iratus esset Israelitis et affirmabat se, hos quidem deleturum, Moysem vero principem maioris gentis constituturum: « Si non dimittis peccata eorum, dele me de libro tuo quem scripsisti[2]». Et David, qui asseritur fuisse secundum cor Domini[3], in se ipsum solum assumebat poenam Israelitarum ut ab ea liberarentur, dicens[4]: « Si ego peccavi et exarcerbavi te, hi, oves innocentes, quid fecerunt? Vertatur manus tua in me et in domum patris mei.» Et huiusmodi castigationem non propter peccatum eius venisse in Israelitas, ut quibusdam visum est, sed quia rebellaverunt in * p. 287. eum, ostendunt nobis * doctores sancti ecclesiae. Ubinam autem ponemus sententiam Deo gratam strenui *Apostoli*[5]: « Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis et cognatis meis secundum carnem, qui sunt Israelitae. » Et quid censebimus de eo qui docet et dicit ut animam nostram ponamus pro amicis nostris[6]?

Quod autem vere assumebant sancti etiam perditionem absolutam, privationem inquam Dei, pro salute plurimorum, et non [metaphorice][7], secundum depravatam cogitationem nonnul-

[1] MATTH., XXII, 37, 39. — [2] *Ex.*, XXXII, 10, 32. — [3] *Act. ap.*, XIII, 22. — [4] II *Reg.*, XXIV, 17. — [5] *Rom.*, IX, 13. — [6] Cf. IOH., XIV, 13. — [7] Haec aut similis vox excidisse videtur.

lorum perversorum et infirmorum, qui secundum dictum principis Apostolorum, Petri, recta detorserunt « sicut et ceteros libros ad suam ipsorum perditionem[1] », clare ostendunt nobis columnae veritatis. Et statim occurrit nobis beatus Basilius qui ita loquitur:

E responsione sancti Basilii, qui interrogatus fuerat de amore proximi[2]: « Propterea et Moyses servus fidelis Dei, tantum amorem fratrum acquisivisse videbatur, ut e libro Dei in quo scriptus erat deleri assumeret, si populo peccatum suum non condonaretur. Paulus vero optare ausus est anathema esse a Christo pro fratribus secundum carnem; cum vellet ad exemplum Christi pretium fieri omnium salutis.»

Idipsum et beatus Iohannes archiepiscopus Cpolis, in tractatu ad Demetrium, fuse exponit et definit, dum ita de divino Paulo loquitur[3]: « Tantus amor erga Christum ardebat in eo, ut si ipsi propositum fuisset illos immortales cruciatus pro Christo subire, ne hoc quidem recusasset. Non enim quemadmodum nos qui sumus mercenarii, qui gehennam formidamus et regnum concupiscimus, sic * ille Christo serviebat, sed alio quodam * p. 288. amore captus, beatiore et sublimiore, omnia patiebatur et agebat, non propter aliud quam ut amori suo erga Christum satisfaceret, qui *amor* adeo abundanter occupabat mentem eius ut eo privari quod illi omnibus pretiotius erat, nempe esse cum Christo, pro quo etiam gehennam contemnebat et regnum caelorum despiciebat, libenter assumeret propter Christum, et lapsum illum inenarrabilem tanquam rem optabilissimam magna cum alacritate acciperet et diligeret. At fortasse nunc significatione carere plurimis censetur id quod dictum est: cum autem clarius exposuero, tunc incredibile videbitur eis ipsis quibus antea non liquidum erat. Et non est mirandum. Ipse enim beatus exspectavit et putavit se in his fidem non obtenturum, et ideo praemisit: Veritatem dico in Christo, non mentior, conscientia mea mihi testimonium perhibente in Spiritu sancto. Attamen, cum haec omnia adiecerit sermoni suo et omnes istos testes suae conscientiae invocat, etiam nunc non creditur. »

[1] II PETR., III, 16 — [2] *Patr. Gr.*, t. XXXI, col. 917. — [3] *Patr. Gr.*, t. XLVII, col. 406.

Rursum, eiusdem sancti Iohannis, e tractatu secundo de laudibus beati Pauli.[1] « Considera ei fore premium victoriae ‘ dissolvi et esse cum Christo ’; permanere autem in corpore, certamen. Attamen hoc magis pretiosum quam illud, et valde necessarium dicebat. Item, ‘ anathema esse a Christo ’, certamen erat et dolor, seu, ut accuratius loquar, * supra certamina et supra dolores; at vero ‘esse cum Christo’, premium victoriae; sed propter Christum illud potius quam istud elegit. » Et rursum, post alia: « Nemo enim unquam mala propria deflevit quantum ille aliena. Qualis enim erat, conice, vir qui, cum non vellent Iudaei salvari, ut salvarentur optabat a gloria superna excludi. Et inde manifestum est quod illos non salvari acerbius erat ei quam istud *seu gloriae privationem.* Quod si enim non gravius ipsi fuisset, istud prae illo nunquam optavisset; quia enim istud erat levius et maioris consolationis istud sibi elegit, et non simpliciter optabat, sed clamabat dicens: Tristitia est mihi magna, et dolor cordi meo continuus. »

Iam ergo suadent nobis hi novissimi sapientes ut haec omnia obliviscamur, et quae sunt nostri, non autem Iesu Christi, quaeramus. Sed si, contemnens beatus patriarcha noster promissiones quae dabantur ei ab imperatore, et iuramenta quae ei effundebantur ab antistite Constantinopolis, de bona spe legitimae unionis in fide orthodoxa perficiendae, securitati suorum tantum intendisset: nonne, quaeso, merito irati essent maxime orthodoxi urbis, ut non solum reprobatione reprobavissent eum, sed etiam eum lapidavissent viri qui sperabant hac ratione, non tantum a periculo quod tunc eis imminebat liberari, sed etiam tam incomparabile bonum se obtenturos? Ego censeo neminem esse, qui vel parvam habeat * rerum notionem et intellegentiam, id non probaturum.

Promissa enim magna et iuramenta formidanda continuo data ei fuisse, decursu multorum dierum, ab imperatore et ab antistite urbis regiae, viris qui nec timore nec adulatione id facere cogebantur, certiores facti sumus, etiam inviti, iuramentis et maledictionibus quae sunt in eius subscriptione, quae, ut iam modo dictum est, si christiani sumus aut si christianum saltem eum censemus, omnino acceptare debemus. Iam vero,

[1] *Patr. Gr.*, t. L, col. 480.

dic mihi, quomodo oporteat intellegere quod prolatum est ab imitatore Christi: « Omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem »; et rursum: « Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem[1].» Nonne quod in singulis condescendebat et similis fiebat eis, et sic captabat eos et offerebat eos Christo « virginem puram in qua non est ruga aut inquinamentum aut quid his simile[2] »? Rem ita se habere confirmat rursum s. Iohannes episcopus Constantinopolis, in homilia quinta de laudibus beati Pauli, ab ipso pronunciata; nam ita loquitur[3]: « Ipse Paulus, Dominum suum imitans, nesciebatur quis sit. Modo quidem iudaeus[4] erat, modo autem sine lege; nunc quidem legem observabat, nunc autem eam despiciebat; aliquando tenebat praesentem vitam, et aliquando eam contemnebat; modo quidem quaerebat pecunias, et aliquando autem etiam sibi oblatas repudiabat. Et offerebat sacrificium et saepius purificabatur, et rursum anathematizabat eos qui haec faciebant. Modo quidem circumcidebat, et rursum *autem circumcisionem excludebat. Et quae operabantur erant quidem contraria; mens autem et sententia ex quibus fiebant valde concinentes erant et invicem concordantes. Unum enim solum requirebat: salutem eorum qui haec viderent et audirent. Propterea modo quidem extollit legem, modo autem eam deicit. Non enim solum in his quae faciebat, sed et in his quae dicebat diversus et multimodus erat, non quod mutaretur mente, absit! et non quod alter ex altero fieret, sed semper manens quod erat, haec quae dicta sunt faciebat, et secundum opportunitatem aptabat. Non igitur propter ista eum reprehendas, sed propter ea potius illum laudibus corona.»

Praetermitto enim confectionem vituli, quam perfici sivit beatus Aharon. Manifestum enim est, quod praeter suam voluntatem, cum videret tumultum et perturbationem insanientium Israelitarum, id concessit; nam comparans malum cum malo, id quod sanari posset respectu illius quod nullam sanabilitatis[5] rationem haberet, tanquam melius existimavit. Attamen ecce videmus sanctum patriarcham ubique id clamare in sua doctrina : « Ego valde remotus sum a fortitudine sanc-

[1] I *Cor.*, IX, 19, 22. — [2] *Ephes.*, V, 27. — [3] *Patr. Gr.*, t. L, col. 498. — [4] Vide correctiones. — [5] Vide correctiones.

torum.» Si itaque sciremus quid sit id quod scriptum est[1]: « Misericordiam quaero, et non sacrificium », non damnaremus eos qui sunt sine culpa;[1] sed, sicut admonet praeco Christi, in caritate spiritali oppugnaremus munitiones rebelles, destrueremus consilia prava et omnem altitudinem se adversus scientiam Dei extollentem, et captivum omnem intellectum ducere- mus in obsequium Christi; et nunquam exiret ab ore nostro verbum otiosum, * sed quod pulcrum et utile ad aedificationem, ut det gratiam audientibus; et non contristaremus Spiritum sanctum Dei, in quo signati sumus in diem redemptionis[2]. — Explicit capitulum octavum.

* p. 292.

Capitulum nonum. — Item, vituperat archimandrita Iohannes, in quaestionibus vehementibus quas composuit, apologiam sancti patriarchae, dicens: « et in dogmate propter edictum.»

Responsio et solutio obiectionis. — Nihil aliud quidem in sermone suo indicat sapiens archimandrita Iohannes; verumtamen e colloquio discipulorum eius qui venerunt in hunc locum ubi habitamus, et locuti sunt cum omni prudentia quae decet sapientes, percepi quae sit eius intentio, et congruum est ut respondeatur eis haec sententia[3]: « Dixi vobis, et non audivistis. Quid iterum vultis discere. Fortasse et vos discipuli eius fieri vultis?» Et scio etiam eos, sicut illi olim, statim nobis irrisuros dicentes: « Vos discipuli eius estote, nos autem Mar Petri *sumus*, qui creatus est ab Antonino et Antonino, episcopis, qui detinent dimissorias[4] suas.» Prolongare autem sermonem nostrum adversus voluntatem eorum firmam quae sibi proponit odiosum gratis reddere virum sanctum et pervertere quae, ab ipso pro viribus scripta, rectissima sunt et omni laude digna, incongruum est. Decet enim nos obtemperare admonitioni sacrorum Proverbiorum, quam nunc taceo, propter honorem caritatis.[5] Et id tantum rogo: ut intendamus quomodo * designet ab initio, etiam in apologia quam fecit, edictum domini nostri imperatoris Iustini[6]; in ea enim ad verbum haec habet:

* p. 293.

[1] Cf. MATTH., XII, 7. — [2] Cf. II *Cor.*, X, 4-5; *Ephes.*, IV, 29, 30. — [3] IOH., IX, 27. — [4] ἀπολυτικαί. — [5] Alludere videtur ad *Prov.*, XVIII, 1, 2. — [6] Edictum exstat graece apud EVAGRIUM, *Hist. eccl.*, l. V, cap. IV; syriace apud MICH. SYR., p. 338.

Ex apologia[1] venerabilis Pauli patriarchae: « Quia nos opinamur illud non esse irreprehensibile quoad unionem, ideo ne opinentur illi illud recte ipsis suffragari.» Et sensum huius sermonis fusius illustrat ipse vir venerabilis in epistula quam ad Mar Iacobum dixerit, cuius initium est: «Quidquid a sanctitate vestra, nobis suadetur in Christo». Verba quae ad edictum spectant haec sunt: «Nobis autem non ita satisfit aut fiet; sed neque perfectum quoad oeconomiam confessi sumus illud, scriptis et sine scriptis; quia non consentaneum est oeconomiae definitae a sancto doctore Severo. Illud ergo quod iudicatum est a nobis non esse perfectum quoad oeconomiam, utpote recedens ab opinione praedicti theophori patris nostri, omnino inacceptabile est omnibus qui fidem orthodoxam et eius *Severi* directiones legitimas divinasque ad instar legum spiritalium celebrant.»

Quid postea factum sit circa edictum inter beatum patriarcham et Mar Iacobum atque Mar Sergium ex Beth Aphthonii, existimo minime latere ipsum archimandritam Iohannem, etiam si ob eius voluntatem sancto patriarchae alienam non permittatur nunc commemorare quod factum est. Si autem ignorat id quod factum sit, interroget praedictum Mar Sergium, et is illi revelabit si voluerit: quia post professionem et affirmationem huiusmodi, neque * ego neque christianus alius poterit aliquid dicere circa hoc negocium. Si autem secundum sermonem discipulorum suorum, fortasse enim ipse sermonis fuit auctor, ipse dicat: « Quale edictum aut cuiusnam non indicat, neque causas ob quas facta est haec professio[2]», ad ipsum respondendum est: Edictum quod ita simpliciter designatur in apologia quam fecit, illud est quod refertur in omnibus eius scriptis circa negocium istud.

* p. 294.

Quoad autem demonstrationes, vos sequuti sumus. Didicimus enim ex illis sententiis quod congruenter et secundum canones ecclesiasticos processistis adversus beatum virum, ut testatur sine pudore velarium[3] patrum vestrorum illud famosum[4].

Explicit responsio seu solutio quae facta est breviter adversus ea quae obiecit sanctus Iohannes supradictus.

[1] πληροφορία. — [2] σχῆμα. — [3] βηλάριον. — [4] Vide correctionem. Cf. supra, p. 163, 167. Ironice loquitur.

SERMO HORTATORIUS, qui est complementum solutionum, ad ipsum senem Mar Iohannem presbyterum, quem designant ea quae initio capitulorum ponuntur.

Haec, domine, propter honorem et caritatem erga sanctitatem vestram, scripsi ad vos postquam vi abduxi animam meam, et coegi voluntatem meam et domui linguam meam. Rogo autem sanctitatem vestram, si potestis, ut moneatis et deprecemini dictum archimandritam Iohannem, omnes discipulos eius * et quemcumque invenietis ex eorum asseclis, ne studeant pervertere quae non sunt perversa et miscere quae non sunt miscenda, assimilantes lucem tenebris, et bonum malo, et iustitiam iniquitati, et, sicut ait Scriptura, ne misceant paleas tritico[1]. Satis sint eis quae usque hodie fecerunt. Ita ut, cum confidimus accessum habere apud eos quod boni est, possimus clamare et dicere[2]: « Lavamini et mundamini et amovete malitiam e cordibus vestris, et venite colloquamur invicem, ait Dominus.» Ita ut, cum a nobis id factum fuerit quod ei gratum et delectabile est semper, si fuerint peccata nostra ut coccinum quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana erunt[3], precibus vestris et omnium sanctorum ab initio mundi, et gloriosae Deigenitricis semperque virginis, sanctae dominae meae Mariae. Amen et amen.

* p. 295.

EPISTULA MEMORIALIS SEU INDICATIVA, FACTA NOMINE CHRISTOPHILI MAR SARGUNA AD PRESBYTERUM IOHANNEM CLAUDUM; PER SENEM[4] MAR IOHANNEM ILLIUS MAGISTRUM.

Domino meo, venerabilissimo et piissimo patri nostro spiritali, presbytero Mar Iohanni, ex parte Sergii, servi et discipuli tui: in Domino nostro pax plurima.

Quia dixit mihi paternitas tua pium archimandritam Mar Iohannem, qui egressus est e monasterio Mar Bassi, cum habeat zelum magnum pro re quacumque suscepta, propter ea quae nunc agitantur in ecclesia Orthodoxorum, * non recusare etiam hucusque, id est Nicaeam, venire, — et in caritate quae decet eos qui gerunt habitum honestum monachatus, vel demonstret nobis se congruenter, prout exigunt regulae et directiones

* p. 296.

[1] Cf. IEREM., XXIII, 28. — [2] Cf. Is., I, 16, 18. — [3] Cf. *ibidem*. — [4] Restitue: « per Iohannem Sabam » (cf. p. 157).

sapientes sanctorum patrum legesque ecclesiasticae, servare opinionem quam tenet, vel si possemus, auxiliante Deo, ei demonstrare nos potissimum tenere veritatem non abnuat nobis assensum dare — ego, cum a paternitate tua persuasus sim eum magna caritate et mansuetudine perpulcra loqui tecum de toto negocio, omnino necesse existimavi hoc memoriale tibi faciendum quo te monerem, me habere confidentiam in misericordia Domini, quia etsi opera quae congruunt habitui meo non operor, tamen voluntas mihi est, et deprecor Deum tanquam peccator, ut ab omnibus inquinamentis et vulneribus peccatorum meorum mundarer, nec unquam propter personam quamcunque aut propter scopum quemdam desisterem profiteri et operari quae deceant, Deo me adiuvante.

Paratus sum itaque, per gratiam Christi, si velit archimandrita Mar Iohannes assumere laborem *itineris* et venire ad me, in omni caritate, in omni honore et quantum possum in omni religione, loqui cum eo, aut ego ipse, si possum et non coerceor debilitate interna, aut per virum alium qui loquetur in omni prudentia christianae caritatis. Ego dabo in scriptis omnia capita de quibus mihi est dubium, et abstinebo ab omni sermone vel auditione. Eamdem etiam rationem ab eo postulo. Decet igitur nos, ambas partes, inquam, prius firmiter mutuum verbum invicem dare; et ita sedebunt * duo mediatores, unus ex parte nostra, alter ex parte eorum, viri sapientes, expertes omnis infensae passionis erga quamcumque personam, persuasum habentes ipsum Christum iudicari coram eis, et posito in medio eorum evangelio sancto; et ita decisionem eorum unusquisque nostrum accipiet sine contentione quacunque, et assensum dabit et unietur socio suo; et participabimus mysteriis sacris corporis et sanguinis Christi Dei, et perseverabimus in hac *unione* usque ad finem vitae nostrae, et nemo nostrum a socio suo schisma faciet, nisi quid novi acciderit quod evidenter et manifeste, totius ecclesiae iudicio, alienum sit a veritate.

* p. 297

Id etiam dico paternitati tuae, si acciderit, quod non existimo, ut velit archimandrita Mar Iohannes contentiose loqui mecum, aut secum adducere virum qui astute loquatur, cupiens ostendere acumen sermonis sui et acuitatem linguae suae, semel dico, nobis non est talis consuetudo, nec ecclesiae Dei; sed sicut

mihi dictum est a paternitate tua, et tibi a me, in omni religione, in omni caritate, in omni veritate omnia movebuntur, sollicitus unusquisque nostrum prodesse socio suo quantum possit, non autem opinionem suam distorsione verborum tueri, etiam si recedit a congruentia, et, ut breviter dicam, cum persuasus sit unusquisque firmiterque teneat se coram Christo litigare et ab eo sententiam accepturum. 5

Paratus sum servare promissa in hoc memoriali enunciata usque ad ingressum Ieiunii, si Deus propter misericordias suas dederit vitam et incolumitatem. 10

Quia autem dixisti mihi nonnullos ex eis qui nunc adversarii nostri sunt te rogavisse ut suaderes mihi anathematizare eos qui dicunt duas naturas in Christo post unionem ineffabilem, * in virtute Christi Dei anathematizo omnem ita sentientem, quicunque est. Non autem noviter id facio, neque ut morem hominibus gererem, sed in hoc conscientiam meam manifestam hominibus sicut Deo facio. Qui me calumniatus est hac in re, ne quid gravius dicam, sed in vestigia gradiar beati apostoli, impedita sit eius lingua per tres menses! per orationes veri servi Dei, beati Moysis, cuius nomine vocari non omnes digni sunt. (* p. 298.) 15 20

Exemplar subscriptionis piissimi Mar Sergii: « Ora pro me, pater mihi honoratissime.»

Scriptum mense tišrīn posteriore[1].

Explicit solutio seu apologia. 25

EPISTULA SYNODICA MISSA A VENERABILI ET BEATO MAR THEODORO, PATRIARCHA ECCLESIAE ORTHODOXAE ALEXANDRIAE, AD SANCTUM BEATUM MAR PAULUM, PATRIARCHAM ECCLESIAE ORTHODOXAE ANTIOCHIAE.

Venerabilissimo et sanctissimo fratri et collegae nostro patriarchae Mar Paulo, Theodorus: in Domino nostro salutem. 30

Quando considero tempus praesens et perturbationem in negociis ecclesiasticis vigentem, asperitatem autem summi sacerdotii et qualis esse debeat * qui ministrat mysteria divina, (* p. 299.)

[1] Mense novembri, anno 580, nam supra (p. 194) memoratur conventus episcoporum Cpoli, qui mense martio huius anni habitus est.

vere timeo et tremo; nam conscius sum debilitatis parvitatis meae. Et nihil aliud me esse existimo, meque appellabo, quam, secundum verbum Abrahae patriarchae, pulverem et cinerem[1]. Verba autem Isaiae eloquentissimi in anima mea revolvo, et 5 amare fleo, quibus praenuntiavit quae propter multitudinem peccatorum ventura erant merentibus, dum dicit[2]: « Erit populus sicut sacerdos, et servus sicut herus eius, et ancilla sicut domina eius.» Cum enim pulcra ordinatio a fundamentis subversa est, spernuntur autem saevissime ultra omnem audaciam leges 10 et canones ecclesiastici apostolicique, quis non, pro convenientia temporis, lamentationes assumet Ieremiae, et ploratum plorabit inordinatum qui fere omnia perturbet, atque sententias regis prophetae, ad Deum qui est super omnia, clamabit: « Quousque peccatores, Domine, quousque peccatores gloriabuntur »[3] et 15 cetera. Rursum autem, quando mare miserationum divinarum considero, et meditor bonitatem ineffabilem eius philanthropiae, recogito rursum vos relictos esse a Deo in angustiis talis epochae, scintillam spiritalem, — vos qui apparuistis, sicut Iobus magnus, tanquam columna patientiae et afflictionis, — nubem 20 tristitiae depello ab anima mea et serenitas quaedam mirabilis tempestatem cogitationum mearum solvit. Statim enim ac, nutu Dei et electione eius qui est inter sanctos, patris nostri celebrandi Theodosii, transgressi estis limen caelestis Ierusalem, et decore spiritali summi sacerdotii decorati estis, — non enim 25 rapuistis benedictionem paternam, sed potius ab ipsa * rapti estis — statim Esau, qui mortalitate pili sui significat mortalitatem suae mentis, cum viris malis et daemonibus sibi subiectis, artificia sua proferebat, dum clamat et dicit[4]: « Appropinquent dies funeris patris mei, et occidam Iacobum fratrem 30 meum». Hinc, postquam migravit ad Dominum[5] dux strenuus certaminum, pater noster, omnes impetus tentationum qui in vos concitati sunt, viriliter et sapienter a vobis repulistis; nam praeclari estis simul verbo et opere, et utroque victoriam probationis acquisivistis. Quemnam enim per orbem latent 35 comminationes frequentes, una supra aliam in vos ab inimicis veritatis *inductae*, impetus haeresis, rabies multiplex et mul- (* p. 300.)

[1] Cf. *Gen.*, XVIII, 27. — [2] Is., XXIV, 2. — [3] *Ps.* XCIII, 3. — [4] *Gen.*, XXVII, 41. — [5] Cf. supra, p. 112, n. 2.

timoda tritheitarum, falsae incusationes, contemptus, calumniae usque ad imperatores *delatae,* hypocrisis falsorum fratrum, fraudes amicorum, magna invidia quam in vos excitavit magnitudo operum vestrorum Deo gratorum? Non potest enim, non potest haec vitare qui conatur probe excellere in aliqua re. Miror eos qui passiones suas turpes hypocrita ostensione pietatis explent, dum putant se decepisse oculum qui non dormit, viri ad quos spectat verbum psalmistae[1]: « Intellegite, insipientes in populo, et stulti aliquando sapite: qui plantavit aures non audiet? qui creavit oculos fortasse non intelleget? » Sed quid necesse est nunc recitare constantiam tuam, o vir Dei, aut numerare certamina tua apostolica quibus omnes qui se erexerunt adversus veritatem confudisti? Consecrasti enim vitam tuam in morte quotidiana, quemadmodum dicit scriptura; et ostendisti teipsum in omnibus ministrum * Dei, in patientia multa, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in vinculis, in seditionibus, in labore, in vigilia, in ieiunio, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, in armis iustitiae, a dexteris et a sinistris, in gloria et in contemptu, in laude et in vituperio; quasi seductor, et verax; quasi ignotus, et cognitus; quasi moriens, et ecce vivis; quasi castigeris, et non moreris; quasi tristis, et semper gaudes; quasi egenus, et multos ditas; quasi nihil habens, et omnia possides.[2] Idcirco, cum per certamina spiritalia vestra huiusmodi ad zelum ego minimus excitatus essem, et cum timerem defodere talentum rationale mihi commissum, propter minas in evangelio decretas, congruenter optavi particeps videri passionum vestrarum; et inde ad hanc epistulam synodicam motus sum. Mos enim antiquus viget in ecclesiis Dei, ut qui meruerunt adscendere ad sedes principales[3] per litteras communionis foveant socios suos, et ita in omnibus expandatur beneficium caritatis super Israel Dei, et pax Christi per vinculum fidei habitet in cordibus nostris.

Notum igitur facio tuae sanctitati me unam tantum defini-

[1] *Ps.* xciii, 9. — [2] Cf. I *Cor.*, xv, 31; II *Cor.*, vi, 4-10. — [3] Theodorus consecratus est anno 575, circa mensem iulium.

tionem fidei recipere: illam nempe quam definivit synodus bene ordinata cccxviii patrum, quam confirmavit coetus laudabilis cl patrum, et pariter sancta synodus episcoporum quae Ephesi congregata est, et quae detrusit impium Nestorium, bestiam feram et pessimam; * viri enim illi sancti et theophori tradiderunt nobis, ut credamus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Verbum eius unicum et hypostaticum, Dominum nostrum et Deum nostrum Iesum Christum, et in Spiritum sanctum: Trinitatem consubstantialem et honore aequalem, quae in personis quidem distinguitur et est sine confusione, est autem indivisibilis, una substantia, et natura, et imperium, et virtus, et operatio, et cetera quae Deo naturaliter competunt. Pater enim est pater et non est filius; Filius autem est filius et non est pater, et Spiritus sanctus proprie spiritus; unusquisque eorum Deus est cum seorsum speculatione consideratur, unus Deus tres illi dum simul intelleguntur, nam una eademque substantia et virtus. Amplectimur tractatum compositum ab eo qui cum sanctis est, patre nostro Theodosio, adversus eos qui dividunt unam sublimem deitatem et excogitant substantias et naturas, quod idem est ac dicere deos et deitates, et adversus eos qui balbutiant totam Trinitatem sanctam incorporatam esse per unam e suis personis. Recipio autem subscriptiones quae tunc factae sunt a clero in urbe regia de mandato eius sanctitatis. Et ita, cum in via media et regia gradimur, ab utraque haeresi aversamur, nempe a confusione personarum Sabellii et ab hac nova scissura unius divinitatis quae nihil differt a sententia ariana. Prorsus non dicimus deitatem seu substantiam dividi cum divisione hypostasium, neque negamus distinctionem personarum propter singularitatem deitatis; ut loquamur sicut sanctus Basilius[1]: « Ineffabilis quaedam et inscrutabilis deprehenditur esse in illis * tum societas tum distinctio; nam neque differentia hypostasium divellit densitatem naturae[2], neque communitas essentiae proprietatem notionum confundit.» Itaque tres hypostases confitemur, non tria principia, nec tres deos, nec tres deitates, nec tres quasdam substantias, nec tres naturas, neque substantias aut naturas absolute,

[1] *Patr. Gr.*, t. XXXII, col. 332. — [2] Vide correctiones.

aut numerum definitum vel *indefinitum substantiarum* vel naturarum cogitamus; sed unum deum, et unum principium, et unam substantiam et naturam in tribus hypostasibus seu personis praedicamus. Propterea etiam iniquum Iohannem, ματαιοπόνον Grammaticum, anathemate terribili damnamus, et librum ab eo conscriptum, quem appellavit Theologiam[1]; nam, cum omni audacia dividit et separat seu seorsim constituit unam indivisibilem et communem trium hypostasium deitatem, ex qua unum deum fictione mentis meraque phantasia, creat. Sententia autem rectae fidei, ut saepius dictum est, et unamquamque hypostasim in seipsa vere subsistere profitetur, et ab unione communioneque cum ceteris hypostasibus unamquamque earum prorsus non separat. Unum esse proprie has tres noscit, in una eademque immutabili substantia et essentia. Dixit enim Gregorius theologus[2]: « Possibile etiam ut unum, cum in seipsum dissideat discordetque, plura fiat; eis autem quorum natura simplex est et quorum essentia una eademque, illud « unum » proprie competit ».

Confitemur unum e Trinitate, unam hypostasim, Verbum, Deum ex deo Patre, lumen de lumine, imaginem haud disparem genitoris eius, in novissimis diebus, * propter salutem nostram hominem factum esse. Et accepit pati nativitatem secundam e sancta Maria virgine et deigenitrice; et sumpsit similitudinem nostram in omnibus; cum sit similitudo in omnibus, nihil deest ex his quibus constituitur substantia nostra: quidquid igitur sumus, propter nos factus est: caro, anima, mens, quae immunes sunt a macula peccati. Peccatum enim non substantia est, neque minima pars eius, sed infirmitas quaedam et miseria quae postea accidit naturae nostrae per transgressionem Adami: ad quam sanandam venit Verbum Dei, cum homo factum est sine peccato. Secundum enim testimonium scripturae a Deo inspiratae: « peccatum non fecit, nec inventus est in ore eius dolus[3] ». Cum itaque praedicat mysterium inhumanationis, clamat Paulus, praeco gentium[4]: « Quia filii participaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem suam destrueret eum qui habebat mortis

* p. 304.

[1] Sive Theodiceam. Ad litt.: « Sermo de divinis ». — [2] *Patr. Gr.*, t. XXXVI, col. 76. — [3] I PETR., II, 22. — [4] *Hebr.*, II, 14-17.

imperium, id est Satanam, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam suam obnoxii erant servituti; non enim ex angelis assumpsit, sed e semine Abrahae; propterea debebat per omnia suis fratribus similari.» Inde proclamat sermo sacer evangelii, eum fuisse participem famis, sitis, somni, defatigationis ex protracto itinere, doloris, perturbationis, ceterarumque passionum irreprehensibilium; nam voluntarie accepit pati, propter philanthropiam, tantum passiones nostras naturales et irreprehensibiles, in corpore passibili in similitudinem nostram et passionis capace, quod expertum est plagas, vulnera, dolores; sustinuit voluntarie etiam impetum mortis. Dicitur enim[1]: * « Inclinavit caput suum et tradidit spiritum suum », id est animam suam. Et clamat eloquentissimus prophetarum dicens[2]: « Plagis eius nos sanati sumus. » Et[3]: « Super dolorem vulnerum meorum addiderunt ». Et rursum[4]: « Homo in plagis positus et sciens ferre dolores. » Inde usque ad experimentum passionum, passibile, mortale, et in hoc corruptibile sacratissimum corpus Domini et Dei nostri profiteri non prohibemur: toto enim tempore oeconomiae reliquit illud passibile et mortale: ut mors ipsius Christi Dei nostri non in fictione sit, sed vera et non in phantasia appareat. Post autem resurrectionem eius vere divinam, credimus omnino incorruptibile illud fecisse: surrexit enim vivus tertia die, spoliavit infernum et factus est primitiae resurrectionis nostrae. Quis itaque non miraretur mysterium ineffabile oeconomiae, quod est accuratum et clarum et undequaque ducit ad orthodoxiam? Per omnia enim haeresim Apollinarii et Eutychis evertit, et Iuliani impassibilitatem in corpore impassibili reprobat. Rursum autem redarguit separationem turpem et divisionem Nestorii. Eo enim quod consensit Emmanuel pro nobis fieri et appellari, hoc solo nomine totum mysterium oeconomiae declarat. Interpretandum enim est, secundum sententiam evangelii[5] « nobiscum deus noster ». Deus autem qui nobiscum est evidentissime sicut nos est et simul supra nos: quia est unus ex duabus, divinitate et humanitate, quae sunt perfectae in sua ratione, consubstantialis Patri in divinitate et idem ipse consubstantialis nobis

* p. 305.

[1] IOH., XIX, 30. — [2] IS., LIII, 5. — [3] *Ps.* LXVIII, 27. — [4] IS., LIII, 4. — [5] MATTH., I, 23.

in humanitate, qui non dividitur in eas quibus constituitur, neque separatur in dualitatem naturarum, nec confunditur quadam mutatione aut conversione naturarum; sed postquam *p. 306. unitus est hypostatice corpori animato natus est *homo ex muliere et, non amissa sua natura, factus est sicut nos, sed idem 5 ipse est deus et homo, id est deus homo factus, secundum definitionem sanctam patrum theophororum.

Haec itaque sentio, et usque ad mortem meam cum sollicitudine talem sententiam tenebo. Anathematizo impias haereses, animarum corruptrices, et eos qui earum fuerunt auctores, 10 Valentinum, inquam, et Marcionem, et Manem, et Arium, et Macedonium, et Eunomium, et Apollinarium, et Eutychen; et Iulianum halicarnassensem, qui blateravit ab ipsa unione cum Verbo Deo impassibile et immortale fuisse corpus quod ex nobis assumpsit et sibi univit hypostatice, et qui introduxit 15 phantasiam et fictionem in mysterium incarnationis verae et immutabilis. Rursum, anathematizo Paulum samosatenum et Diodorum, et Theodorum, et Nestorium, et Theodoretum, et Andream, et Hibam, et Eutherium, et Alexandrum hierapolitanum, et Irenaeum bigamum, et Cyrum, et Iohannem aegea- 20 tem, et omnes qui ausi sunt loqui adversus duodecim Capitula eius qui inter sanctos est, patris nostri Cyrilli, cum eorum foeda refutatione, et Barsaumam persam cum canonibus suis turpibus. Et cum istis omnibus anathematizo synodum Chalcedonensem et Tomum Leonis, et omnes qui dixerunt aut dicunt 25 duas naturas in uno Christo post unionem ineffabilem, aut definiunt eum in duabus naturis, et non sentiunt eum unam esse personam, et unam hypostasim, et unam naturam incorporatam ipsius Verbi Dei, et unam operationem, secundum doctrinam patrum nostrorum theophororum. Propterea, etiam 30 *p. 307. libellum henoticon *Zenonis, memoria digni, recipio, in destructionem praedictae synodi chalcedonensis et Tomi Leonis. Et cum his omnibus anathematizo etiam eos qui dixerunt Christum revera nescivisse diem consummationis aut quid aliud ex his quae sunt aut fuerunt aut futura sunt; et, ut uno 35 verbo dicam, omnem haeresim quae inimica veritatis invenitur.

Super has doctrinas apostolicas et a vituperatione immunes, o frater noster sancte, manum communionis vobis, et per vos

toti provinciae orientali vobis subiectae, damus ego et universa ecclesia sancta Dei quae pendet a sede evangelica Alexandriae, id est omnes qui custodiunt prototypum pulcrae fidei sine mutatione, et leges divinas seu regulas ecclesiasticas tenent tota 5 virtute sua. Et oramus ne iota unum aut unus apex excutiatur in iis quae tradita sunt nobis a theophoris patribus. Dicit enim Severus, magnus patriarcha, alicubi in epistula ad Philoxenum et Thomam episcopos,[1] ita: « Mutare in aliquo terminos quos posuerunt patres nostri omnino illegitimum est, etiam si quis 10 cogitationibus quae rectae existimantur abducatur.» Alio loco, scribens ad Simeonem, episcopum Chalcidis, ita dicit[2]: « Irasci quando violantur leges divinae sacrificium est quod offertur Deo, quemadmodum e contra, tacere in huiusmodi rebus ad iram eum provocat qui has leges posuit.»

15 Decet itaque beatitudinem tuam nos laetificare per epistulas responsorias, et adiuvare nos per orationes *et consilia, *p. 308. et quocunque modo sacerdotibus congruenti; ita ut his roboratus possim per virtutem Spiritus et per virgam sermonis arcere ab ovili rationali Christi pastores mercenarios qui potius 20 lupi visi sunt, et id servare sine macula et sine oppressione[3], doctrinis orthodoxis et operibus evangelicis refulgens.

Saluta fraternitatem quae tecum est; te plurimum salutat in Christo quae nobiscum est.

Subscriptio: « Valeas et orare pro nobis persevera, frater 25 noster honorate et dilecte ».

Explicit.

Epistula synodica responsoria, missa a venerabili et beato Mar Paulo, patriarcha ecclesiae orthodoxae Antiochiae, ad sanctum et beatum Mar Theodorum, patriarcham ecclesiae 30 orthodoxae Alexandriae.

Venerabilissimo et sanctissimo fratri nostro spiritali, collegae nostro et archiepiscopo, Mar Theodoro: Paulus.

Non nunc prima vice, sed iam initio, diabolus osor bonorum, aggreditur et molestat curas bonas, et ideo non impeditus est 35 ille miser quin invideat, donec is qui submisit Behemot ma-

[1] Edita apud E. W. Brooks, *Select Letters of Severus* (vide ibi, p. 393). — [2] *Ibidem*, p. 121-122. — [3] Vide correctiones.

gnum, illum ceperit et strangulaverit, ut ita dicam. Iam enim
* p. 309. victus est * vere ab ipso adventu apud nos Domini nostri, sed
adhuc iam exspirans caudam agitare contendit; at si astutia
sua perturbat humiles, tamen, secundum verbum scriptum [1],
deridetur ab angelis sanctis et a viris qui eorum instar conver- 5
santur. Sed quis celebrans malitiam eius et supplicium ei
reservatum omittet lamentari super quosdam homines qui
seipsos constituerunt opportuna eius instrumenta, dum licebat
eis connumerari inter templa Dei et domicilium esse Spiritus
sancti. Ad haec dicenda lectione epistularum canonicarum 10
sanctitatis vestrae honoratae adductus sum. Has cum manibus
tenerem debuissem vehementer laetari, et earum lectio fuisset
mihi festivitas perfecta; sed memoria fratrum nostrorum qui
perierunt non permisit ut lubens gauderem de iis qui salvati
sunt. Mihi videor id tolerare quod toleravit Moyses magnus, 15
qui cum legem a Deo acciperet in gaudio, tristabatur tamen ve-
hementer ob eos qui e populo impie egerunt erga Deum et divi-
na. Quid sit in epistula quod laetificet, quid rursum quod nos
tristes faciat, ecce iam clare enarrabo.

Optimae itaque aguntur res vestrae, et nemo est, inter eos 20
qui non solent vana loqui, qui non laetetur de eis. Confessio-
nem enim et definitionem fidei, summa accuratione paratam —
nam eius decursu nihil orthodoxum praeterire consensisti, — et
leges apostolicas canonesque paternos, et ea quae ex consue-
* p. 310. tudine servari poterant, quantum licuit sedulo * custodivistis. 25
Praeterea, significant quae scripta sunt sanam esse vim animae
vestrae, et tantam sollicitudinem hisce omnibus vos impen-
disse ut, verbo quidem studeatis nobiscum litigare adversus eos
qui nos, id est paternam successionem, impugnant, opere autem
usque ad finem decertetis adversus novatores et perturbationum 30
fautores, in huiusmodi negociis. Et id mirum non est. Non enim
pro voluptate et suavitate rerum nobis occurentium opus sanc-
tum summi sacerdotii accepistis, sed pro vigilanti sollicitudine
ut pulcherrime dirigatur grex. Decebat enim te, cum acceperis
sedem viri qui strenue decertavit pro rectitudine fidei, sine 35
ulla remissione gradi in vestigia eius et non imminuere eius
certamina, quibus cum ab initio cursus sui seipsum dedisset,

[1] Cf. *Iob.*, XL, 14; XLI, 24. (LXX)

victoria de inimicis suis cinctus apparuit; utinam, frater noster,
cum in tentationes incidisti tentationibus eius similes, et ita
veri filii erga eum titulum acquisivisti, merearis fructus et
coronas obtinere similia! Haec itaque, et alia huiusmodi, sunt
5 quae nos ad gaudium invitant.

Ex altera parte, tristitia nos invadit. Quem enim non dolebit
propter viros qui, ad artificium malorum abrepti, in tantam
abiectionem devenerunt et in talem deliramenti insipientiam
ut res sacras prorsus non perciperent. Eadem passi sunt, ut
10 opinor, quae Nadab et Abiu, qui [1] obtulerunt ignem alienum,
eadem quae asseclae Core, qui impudenter et despotice resti-
terunt eis qui meruerant sacerdotio legitime fungi [2]. Nec perci-
piunt quidem * has sententias illi qui adhuc perseverant probris * p. 311.
afficere, qui honoraverunt iniustitiam [3] Gaiani magis quam divi-
15 num Theodosium. Quod fortasse parum videbitur respectu
eorum quae ausi sunt erga vos, o sancti! Isti itaque quosdam
alios seduxerunt et eis suaserunt ut secum pariter impie
agerent: opinor eos intolerabile existimare ut locum quemdam
relinquerent in quo sinerent sacerdotium a perturbatione im-
20 mune esse, ut ita sibi procurarent consolationem doli, inde quod
cum multis impie agerent. Et timendum est ne forte, ad instar
eorum qui olim restiterunt Theodosio, viro celebrando, qui, post-
quam ab ordinatione [4] illegitima inceperunt, gradatim in corrup-
telam doctrinarum lapsi sunt, eadem ipsi patiantur. Etenim
25 tribus quae proterve discesserunt antiquo tempore a rege Iudae,
inde quod insurrexissent adversus legitimum principatum, in
adorationem vitulorum et cultum idolorum submersae sunt.
Aequum igitur est propter talia nos flere.

Periculum enim est ne fortasse cor eorum, e longanimitate
30 et patientia Dei, induretur summa gravitate; et poenitentiam
animi, quae est spes salutaris, etiam in fine, quomodo sibi com-
pararent ne cogitent; immo, cum alii poenitentiam agunt, etiam
aliis id docentibus fidem dare, ob superbiam suam, non consen-
tiunt. Quaenam enim ratio, aut quodnam argumentum eis pro-
35 ponendum omissum est ab illis qui eos ad emendationem invi-
tant: tum in ceteris *rebus*, tum quod sperant et quod neglegunt

[1] Vide correctionem; cf. *Lev.*, X, 1. — [2] Cf. *Num.*, XVI. — [3] Vide correctiones. — [4] Gaiani nempe.

spatium temporis ad emendationem aptum? Sed, ut apparet, nihil est quod surditatem afferat animabus * sicut passiones. Et quomodo quis auferat passionem ab eis qui ne discere quidem volunt se passione laborare? Quare itaque cohiberemur nunc ne admoneamus eos et ostendamus eis quod salvificum est, quia hucusque non audierunt? Nonne manifesto inique ageremus erga eos qui, inter illos, ad salutem disponuntur? Nemo enim medicus, qui de uno vel duobus membris desperat, aequus est si totum *corpus* neglegat; nam ipse Deus cum statuisset delere populum sodomitam, quia insanabilis erat, non privavit Lothum et qui cum eo erant, sollicitudine congruenti in periculis. Et quid opportunitatis est hoc dicere? Qui enim inspiciet sensum scripturae a Spiritu inspiratae, ei patebit singulis hominibus, ut ita dicam, parari salutem, et eis qui ceciderunt manum auxiliatricem protendi. Non autem quia multi indociles sunt et in via lata pereunt, neglegenda est causa eorum qui possint in via angusta salvari, etsi pauci sunt numero. Itaque etiam nunc, si possibile est, inveniendi sunt praecones, eloquentiam Isaiae et Iohannis imitantes, qui postquam nobiscum supra montem excelsum adscenderant, tonantes ad eos clament: O viri, quia solliciti estis magna cura manifestare prudentiam, et praestantiae cognitionis appellationem orthodoxiae vindicatis, in quo fiduciam posuistis ut ad hoc deveneritis ut persecutionem fortiter sustineretis? Nonne evidenter in fide accurata et in hoc quod cum alacritate custoditis usque ad finem leges paternas, et fugitis, ut ita dicam, ab omni perturbatione ecclesiastica? quippe qui etiam saepius has sententias recitatis: « * Non mutabis terminos quos ab aeterno optime posuerunt patres tui[1].» Agedum! si quis a vobis rationem petat tantae inordinationis quae in vobis est, quoad ea quae audacter facta sunt adversus sacerdotium, quae vel temporibus persecutionum ignota sunt, quid respondebitis? Et nonne, cum dicitis vos adhuc servare rectitudinem, lato risu digni estis? Veniat quidam e vestris principibus in medium quasi in stadium, et disputet nobiscum de rectitudine ordinationum, et pro superbia Novatiana, et pro ceteris transgressionibus vestris. Decertaturi enim sumus usque ad finem pro ordinatione ecclesiarum. Manifestabitur aperte quis nos-

* p. 312.
* p. 313.

[1] *Prov.*, XXII, 28.

trum non recessit e terminis paternis, et inter eos qui recesserunt, quis quidem sine conversione manet in extraneis, addens peccata super peccata, secundum verbum divinae scripturae[1]; quis autem cito studuit celeri cursu reverti. Id enim omnino positum est in definitionibus, non decere ut in desperationem dilabatur qui egressus est. Respondete nobis. Quare usque ad finem vitae tacetis circa haec necessaria? Et id quidem cum sitis in probris et in rebus incongruis viri praestantes et valde garruli. Sunt, etiam inter eos qui vos diligunt, qui hoc silentium non contemptum existimant, sicut vos inflatione repleti dicitis, sed ex vestra infirmitate oriri et dubitatione dicendi quid rectum rationemque reddendi pro iis quae inordinate a vobis commissa sunt. Igitur saltem illis persuadete, etiam si nos indignos existimatis; aperite labia vestra pro apologia; cogitate omne mendacium decursu * temporis deprehendi, detegi et a semetipso dissolvi. Ne respiciatis ad voluptatem momentaneam. Quid forte est veritas; si modo sumit aliquod initium, statim fulget et illuminat, et tenebras non illa tolerat. Quaerite igitur illam dum quaerere licet. Nihil sit tyrannidis, praesertim in ecclesia Dei. Subiciemus etiam nos nostra disquisitioni sedulae quamcumque velitis, modo tamen moribus et legibus paternis congruenti; et, si deprehenderitis nos peccavisse, aut cum peccavimus non accepisse sanationem delictis congruam, docete nos, arguete nos, hortamini nos, et postquam haec acceperimus, gratiam vobis agemus; modo tamen examen diligens et Deo probum sit, non autem qualecumque placeat vobis praescribere nobis, quasi ex ⌜summo quodam cacumine in civitate[2]. Non enim in admirationem rapimur prolixitate[3] stuporis vestri superbi, ut sequamur vos; nec permittimus vobis ut in ignorantia imperative definiatis, et definitiones vestras imperativas firmiores reputetis quam omne iudicium probatum et iustum. Vere risu dignum est quod semper quidem vultis vosmetipsos constituere iudices, ex sublimi specula, eorum quae agenda sunt, non autem reddere rationem quamcunque eis qui vos accusant propter ea quae agitis. Quis est honor iste? Quae est haec dignitas? Unde hoc

* p. 314.

[1] Cf. *Eccli.*, v, 5. — [2] Locutio mihi obscura; cf. paulo post « ex sublimi specula ». — [3] Vide correctiones.

vobis? Quis inter ceteros persuasum habet, sicut vos *habetis,* ab aliis inconsulto sine ullo examine rationem petendam, ipsius vero auctoritatem non esse examinandam, sed suo arbitrio exercendam? Vera garrulitas est hoc, aut vana praesumptio et imaginationis inflatio; et quid aliud quam vacuitas cogitationum quae * nihil discrepat ab his quae in somniis concipiuntur? Igitur videmini vobis umbram laetitiae possidere, quod sitis ex maiori turba quae assentitur rebus istis improbis et difficultatem temporis occasionem facit *declinandi* ad inordinatam tyrannidem. Has praedicationes, proclamandas in toto orbe et transmittendas cursu etiam ad viros post nos futuros, cogitate dictas esse cum testimonio sanctorum angelorum et consilii venerabilium patrum: propter quos vos persecutiones pati dicitis, sed quos accusatores invenietis coram Christo: nisi nobiscum legitime litigaveritis pro traditionibus eorum; nisi, repellentes a vobis aemulationem crudelem et contentiosam, legitime probaveritis gesta vestra; nisi, unoquoque vestrum deponente iram et desinente nos inique lacerare et devorare, nobiscum decertaveritis adversus inimicos totius ecclesiae. Et si non audiveritis, iam futurum est ut veniant etiam inimici et merito opprobrio afficiant vos, utpote qui timetis ut examinarentur gesta vestra. Notum est etiam multos ex amicis vestris, qui percipiunt deceptionem, etsi tardius, tamen scandalizari in vobis. Si itaque haec non feriunt conscientiam vestram, *id accidit* aut quia natura humana in tantam insensibilitatem ruit, aut quia lapsus in abyssum malorum ad tantum contemptum traxit.

* p. 315.

Cum itaque nobiscum ita clamant praecones quos diximus, o beati, si audiunt quidem hi optimi, ostendemus eis facilem viam ad pacem et salutem; * sin autem, iam fortasse tempus est ut excutiamus pulverem pedum nostrorum, et assumanus lamentationes Ieremiae, et gemitu supremo ingemamus haec verba proferentes: « Curavimus Babylonem et non sanata est: derelinquamus eam[1]». Ne id adimpleatur, verissime oro; ne sit omnino nobis quidem diluvium lacrimarum, daemonibus autem risus. Est enim adhuc amor eorum in anima nostra, etsi illi contendunt omnimode eum delere, quia fratres nostri sunt et filii generis nostri, et nobiscum ad eadem bona erant

* p. 316.

[1] IEREM., LIX, 9.

antea allecti; erunt iterum per auxilium Christi, nihil enim videtur difficile ei cui omnia possibilia sunt, si paulisper emendantur et seipsos tradunt indagationi veritatis. Sed quia late cucurrit sermo, propter afflictionem ex his *ortam,* ultra scopum epistulae, mensura congruenti illum refrenemus. Non enim poteram non commemorare quae ad eos spectant, eo minus quod vos eorum mentionem fecistis; sed fusius illa exponere non decet, dum quod attinet ad sermonem sublimiorem[1] brevissime definimus.

Evidens enim est, cum ab eis quae breviter diximus impetum sumet beatitudo tua, non defatigabitur in eis hortandis, in eis invitandis, et per perseverantiam suam quemdam pudorem bonum excitabit in eis, meditans in corde suo haec verba: « Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris[2]. »

Iam ergo in votis est, et nobis, et omnibus qui desiderium boni sine ambiguitate servant, ut ea quae ad eos pertinent in bonum finem vergant; ita ut mereamur accipere a vobis * epistulas ab omni afflictione prorsus immunes et nobis gaudium perfectum causaturas, quod non occurrit in ea quae nunc ad nos scripta est. Integritas et rectitudo fidei in ea validissime servatur, ut antea dixi, et quasi ex parte coetus communis sanctorum patrum tu eam exposuisti. Ero et ego ex sociis huius coetus et recitabo consensum: quae enim ad pulcritudinem fidei spectant, etiam saepius recitare iuvat.

* p. 317.

Fides igitur est nobis firma et pura in Patrem, et in Filium et in Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, quae distinguitur quidem hypostasibus et personis, est autem una et eadem deitas, unita et subsistens citra omnem numerum. Unitas enim in trinitate et Trinitas in unitate est quod a nobis adoratur, et habet divisionem et coniunctionem mirabilem, ut dixit alicubi Gregorius cognomine Theologus[3]. Unum sunt tres illi deitate, non hypostasi, aut persona, aut proprietate, et illud unum triplex est proprietatibus, non essentiis aut naturis, aut deitatibus. Non enim singularitate hypostasium aut personarum, illud unum et idem quoad deitatem et essentiam et naturam, in plures deitates, aut essentias, aut naturas, qualitercunque

[1] Vox respondet graeco μεγαλολογία, et intellegenda videtur doctrina de Trinitate. — [2] IEREM., XV, 19. — [3] *Patr. Gr.*, t. XXXV, col. 1221.

dividimus, sicut placuit Ario et eis qui nunc secundum terrena loquuntur de divinis. Neque rursum indivisibilitate et unitate essentiae et naturae et deitatis contractionem aut confusionem facimus hypostasium aut personarum, sicut cogitare placuit Sabellio et eis qui eius instar iudaice blasphemant. Pater enim pater est et non filius, Filius filius est et non pater, et nec filius * nec pater est Spiritus sanctus. Vitantes itaque utriusque excessus, in vestigia sanctorum doctorum ecclesiae gradimur, et confitemur unam deitatem et essentiam, et naturam et virtutem et operationem, et quidquid est significativum deitatis, principii unici in Trinitate sancta. Et ideo consequenter reprobamus eos qui ausi sunt dicere hanc unitatem essentiae et naturae posteriorem subsistentia esse, adeo ut fictione mentis nostrae mere constituatur et imaginatione tantum comprehendatur. Haec enim ovili nostro extranea sunt et ad errorem paganorum reiecta. Nec enim fautores novitatum huiusmodi omnino negant se non ex sublimi doctrina[1] quae sit apud eos, illas desumpsisse. Sententias enim Aristotelis nobis obiciunt hi miseri, dum reducunt theologiam[2] rerum quae miraculum superant ad sermonem infimum[3] vilem et naturalem, audentes praedicare de deitate infinita et indivisibili conclusiones quae in proprietatem[4] resolvuntur essentiarum quarundam indivisibilium et deitatum. Tantam horum blasphemiam reprobamus, et alteram nihilo minorem qua existimant urgere eos qui ipsis non adhaerent, nempe dicendum totam deitatem, id est sanctam Trinitatem, incorporatam esse per unam e suis personis vel profitendum non esse Deum qui incorporatus est. Secundum enim traditionem sanctorum, Deus est unusquisque eorum cum in seipso speculative consideratur, Deus tres illi dum simul intelleguntur: illud quidem propter consubstantialitatem, hoc autem propter unitatem principii. Haec autem a nobis breviter in certaminibus adversus Tritheitas acta sunt, * et ante nos ab eo qui inter sanctos est, et fuit pater et doctor noster, Theodosio, in tractatu quem composuit et qui initium habet: Quod non liceat cogitare numerum essentiarum aut naturarum in sancta

[1] Ad litt. « sermone excelso », vertit ὑψηλολογία. — [2] θεολογία. — [3] Vertit gr. μικρολογία. Vide correct. — [4] Intellege « propriam subsistentiam ».

Trinitate; et quod cum incorporatus est unus de Trinitate, Verbum Deus, nec Pater nec Spiritus sanctus incorporatus est[1]. Quem tractatum summa alacritate[2] recipimus, necnon ea quae scripta aut facta sunt in confirmationem eius, in eversionem et redargutionem eorum qui pluralitatem quorumdam deorum et deitatum, naturarum, essentiarum ausi sunt nobis inducere in unam et indivisibilem deitatem. In hoc enim *tractatu*, totam opinionem, ut ita dicam, quam venerabiles doctores circa honorandam Trinitatem nos mirabiliter edocuerunt et quomodo decertare deceat cum eis qui conantur hanc commovere, clare nos instruxit; et insuper, inde quod unaquaeque hypostasis, cum seorsum speculative consideratur, a sanctis patribus appelletur essentia aut natura, non nobis licere ad numerum naturarum aut essentiarum declinare; ita enim dixit pater noster: neque inde quod unamquamque ex illis deum dicunt, deos aut deitates eos dixisse per modum consequentiae[3], *licere* nobis opinari: ab hoc omnes omnino quasi a foetu idololatriae paganae fugerunt. Quomodo autem una eademque unitas agnoscatur et trinitas inveniatur, quomodo sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, una natura tres proprietates, unus Deus super omnia, per quem omnia et in omnibus: ipsa sancta Trinitas clare noscit[3], et inter homines, quantum assequi potest natura humana, illi qui inde lumen accipere meruerunt.

Ita igitur confitentes Trinitatem sanctam et consubstantialem, credimus unum ex illa, id * est unicum Filium Verbum substantiale Patris, sapientiam essentialem, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriae et imaginem paternae hypostasis, in fine dierum, propter nos et propter salutem nostram, incarnatum esse de Spiritu sancto et ex Maria semper virgine, in corpore nobis consubstantiali et passionibus nostris obnoxio, animato anima rationali et intellectuali. Non enim speciem corporis assumpsit, instar phantasmatis[4] cuiusdam, neque caeleste est id corpus aut divinitati consubstantiale; assimilatus est enim nobis in omnibus, praeter peccatum, et « assumpsit e semine Abrahae » et participavit, sicut nos, carni et sanguini[5], et factus est homo perfectus, et

[1] Cf. supra, p. 26. — [2] Vide correctiones. — [3] Vide correctiones. — [4] In marg.: « Phantasma est visio falsa ». — [5] Cf. *Hebr.*, IV, 17.

in quantum Deus mansit perfectus, nec mutatus est in deitate sua immutabili; « non est enim in eo mutatio aut vicissitudinis obumbratio [1]», neque confudit in se corpus quod sibi assumpsit et sibi univit hypostatice; nec fecit commixtionem aliquam aut confusionem. Neque dicimus corpus antea constitutum eum assumpsisse: statim enim ac fuit corpus animatum et rationale, statim fuit corpus animatum et rationale Verbi Dei; in eo enim accepit subsistentiam. E duabus itaque naturis, credimus factam esse unionem inconfusam, supra mentem, modo ineffabili et sublimi, id est e deitate et humanitate quae sunt perfectae in ratione sua, ita ut iam unus et idem sit vere Filius et Christus et Dominus, et confitenda sit a nobis una natura et hypostasis ipsius Verbi incarnati et perfecte inhumanati. Ita enim vitamus et contemptum * deitatis ab Ario inductum, qui eam humiliare audacter conatus est, et insaniam huic vicinam Apollinarii, qui perstitit dicere sine mente subsistere humanitatem Christi, et principium sublime salutis nostrae praecidit: quomodo enim acciperet congruam sanationem illud quod non unitum est ei qui venit ut nos salvaret? Sed etiam divisionem Theodori, Nestorii et eorum asseclarum merito repellimus, quae efficit ut qui ei assentiantur in anthropolatriam maledictam corruant. Hi enim iudaice inducunt sua doctrina duos christos et duos filios et dominos et naturas et hypostases et personas et quidquid scindit unionem naturalem et indissolubilem; non tamen unum Christum et filium et dominum et unam eius personam ad deceptionem simplicium dicere recusant, cum naturas seu hypostases, adhaesive quidem sed non indivisibiliter et inseparabiliter, ⌈in aequalitate honoris tantum seu potestatis, et in similitudine nominis [2] filiationis dicant unitas esse. Nomen tantum absolute sumptum: Dominum, Iesum, Christum, dicunt unam personam in duabus naturis. Rursum autem, cum introducant suo sermone filium unum quidem natura: Deum Verbum, alterum autem gratia: hominem ex Maria, prout dicunt, contendunt: « Non duos filios dicimus, sed unum adoptione et exaltatione; nam non computandus est qui est secundum gratiam cum filio naturali.» Et ubique

* p. 321.

[1] Iac., i, 17.— [2] Vertit voces graecas ἰσοτιμία, αὐθεντία, ὁμωνυμία.

impugnant sententiam « ex duabus et unione hypostatica », tanquam peregrinam et libris divinis incognitam, sed revera, pro sua hostilitate, spernunt, et prorsus non consentiunt confiteri « unam naturam incarnatam Verbi Dei.»

Cum itaque ab omnibus * istis aberrationibus stultis fugimus, ex duabus perfectis, scilicet ex deitate et humanitate, confitemur unum Christum et Filium et Dominum, qui natus est ante constitutionem mundi ex Deo, et erat et appellandus est ante inhumanationem, in quantum adhuc non incarnatus erat. Filius Dei, post autem inhumanationem unus et idem est filius corporalis sanctae Virginis. Mansit etiam ita deus verus, et propterea deigenitricem proprie monstravit genitricem suam; non enim hominem Deo indutum, sed Deum inhumanatum mysteriose genuit Virgo; proinde non duas naturas unitas, unam adorandam, alteram non adorandam, credimus esse unum Filium, sed, ut dictum est, unam naturam incarnatam Verbi Dei, quae adoratur cum carne sua una adoratione, et unam esse hypostasim eius compositam. Non discrimen essentiale earum quae coniunctae sunt evanuit aut confusum est propter unionem absconditam et omni intellectu sublimiorem; nec rursum inconfusio divisionem quamcunque causat, aut scindit unum Christum in dualitatem naturarum post unionem. Unio enim vera et hypostatica non quidem delet discrimen, excludit tamen divisionem. Quando igitur modum incarnationis scrutamur, duo quae sibi invicem non sunt consubstantialia omnino percipit mens nostra; sed cum discursu accedit ratio unionis verae, iam non duo sed unum compositum ostendit nobis Christum salvatorem nostrum, qui unus et idem est consubstantialis Patri in divinitate et idem consubstantialis nobis in humanitate, qui unus et idem operatur miracula et patitur, loquitur divina et humana, et una est * eius operatio quasi unius, dum servatur discrimen essentiale, ut dictum est, etiam in composito; non enim unum sunt ratione naturali divinitas et humanitas: unio tamen naturalis non admittit divisionem, ita ut appareat mysterium magnum rectae fidei immune ab omni confusione, mutatione et divisione. Talem igitur confessionem orthodoxam circa unionem omnes, ut ita dicam, patres theophori ecclesiae proclamant, praesertim Cyrillus in divinis

* p. 322.
* p. 323.

versatissimus, sive in suis aliis instructionibus, sive in suis duodecim Capitulis: quae quidem cum ceteris scriptis eius amplectimur et tanquam orthodoxiae normam habemus.

Recipimus quoque libellum henoticon imperatoris memoria digni Zenonis, ad deletionem synodi Chalcedonensis, quae, 5 neminem latet ex his qui non sunt omnino stupidi et sine defatigatione quaerunt veritatem, ansam quidem dedit transgressioni Eutychis impii et indocti: studuit autem confirmare haeresim Theodori et Nestorii eorumque asseclarum. In symbolo enim fidei, ab ipsa proposito contra canones sanctorum 10 patrum, definivit in duabus naturis esse et agnosci Dominum nostrum Christum, adhaesive secundum blasphemias eorum, in adhaesione per aequalitatem potestatis filiationis; quae *synodus* ita mere quidquid illi quoad unionem tenent cogitat; et hac astutia unum et eumdem Christum et filium, et dominum, 15 et unigenitum, sine confusione, sine mutatione, sine divisione, sine discrimine confessa est.

Reprehendenda est evidentissime quod doctrinis impuris eorum et argumentis eorum capta sit, et ob ea quae assumpsit ad interpretationem suae *sententiae: Tomum enim Leonis 20 fundamentum orthodoxiae appellat, et ad confirmationem et demonstrationem eorum quae sibi placebant illum recipere opportunum aestimavit, qui manifesto scindit unum Christum per dualitatem naturarum post unionem, et distribuit unicuique earum formas, appellationes, operationes, proprietates univer- 25 sales aequales eis numero. Neque assentimur nonnullis qui apologias minime solidas et valde indoctas pro illa *synodo* producunt, quae tam remotae sunt ab eis quae illa proposuit, ut haec ipsa penitus evanescant; et ratio agendi eorum ita appa-ret quasi pictoris qui, cum humanam imaginem depingendam 30 haberet, canem pinxisset, et cum illum reliquisset et discessisset, alius autem volens corrigere errorem in pictura commissum, per artificium quoddam depictum canem violenter ad humanitatem traheret; at per varias correctiones et additamenta sua aberrasset ita ut neque in imaginem hominis conver- 35 terit picturam neque imaginem canis amplius servaverit, sed simulacrum quoddam medium per confusionem effecerit, quod ab utraque figura recedit et risum movet. Ita mihi agere

*p. 224.

videntur qui auxilium praestant huic synodo pravae fidei et contendunt violenter verba eius corrigere et ad irreprehensibilitatem deducere. Quid enim dicunt ei auxilium ferentes? « De divisione speculativa per meditationem mentis, in qua 5 consideramus eas *naturas* quibus constat Christus, debemus audire eius formulam 'in duabus'». Idcirco, dicet quis ad eos, qui examinabit inveniet huiusmodi formulam asseclis Nestorii carissimam esse, at *non inveniet eam ab aliquo doctore orthodoxo adhibitam de mysterio Christo; sed de rebus quae 10 peculiariter subsistunt et de personis eos ea usos esse videbis. Et nemo dicet haec latuisse vel dictam synodum. Decebat enim, si cum id intellexerit formulam emisit, ut ab ea addatur quod sequitur, nempe: « qui perfectus est ex unione unus est realiter, et natura et hypostasis composita.» Non enim de simplicibus 15 tantum dicitur vere illud « unus », sed et de eis quae in vera compositione colliguntur, sicut est homo noster. Sed non possunt demonstrare eam hoc dicere. Quomodo enim unquam ad hanc opinionem devenisset, cum clare videatur quae sunt contraria agere? Etenim « unionem hypostaticam » et « unam 20 naturam incarnatam Verbi Dei » astute silentio premit, et rursum formulam « ex duabus », tanquam oppositam doctrinae asseclarum Theodorii et Nestorii et Tomi Leonis, cursu praetermisit. Evidens ergo omnino est eam nihil amplius accepisse ex apologia illa sterili, nisi quod ipsi defensores eius percipere 25 faciant insaniam verborum eius. Risu enim dignum est aliquem ad interpretationem huius formulae assumere ea quae manifeste eam evertunt, et ea quae ipsa adstruenda sunt. Id ergo merito prorsus non dicitur. Non autem propter sonitum simplicem verborum contendimus, neque eis concedimus « in 30 duabus naturis » Christum quidem dicere, insurgere autem adversus opiniones eorum qui « ex duabus naturis » dicunt factam esse *unionem hypostaticam, et « unam naturam incarnatam Dei Verbi ». Eorum enim proprium est intuitu mentis dividere, dum subtili hallucinatione mentis considerant duo 35 quibus constituitur unio ineffabilis. Ne iam perseverent in hac hallucinatione mentis, sed, accepta unione vera, reiciant numerum naturarum, quando quidem numerus est significativus quantitatis subiectorum, non autem naturae rerum.

*p. 325.

*p. 326.

Quod enim unitum est iam non est duo, sed unum est et dicitur.

Quomodo autem tolerabile est, quando formulae orthodoxae praetermissae sunt a synodo, aut reiectae[1] tanquam non probatae, ut opiniones cum eis connexae assumantur, a viris qui hanc *synodum* tuentur, in apologiam illius *sententiae* quae 5 impie electa est a synodo? Aemulatio enim huiusmodi summa contradictione plena est, quia non intellexerunt consequentiam.

Quomodo enim « in duobus » aliquid dici potest et « indivisibiliter » : quod videtur dixisse synodus? Nam numerus duo includit in essentia sua divisionem. Denique, si illud « in 10 duabus » divisionem intuitu mentis significat, ut dicunt, iam superfluum est illud « indivisibiliter » quod additum est. Sed ex adverso, illud « indivisibiliter » additum nos a speculatione quidem amovet, haec enim exhibetur ut dividens, ad rei autem essentiam nos remittit. Ergo illud praedicatum « indivisibiliter 15 in duabus naturis » de ipsa essentia intellegi vult synodus, et non de speculatione quae intuitu mentis tantum dividit. Cessant igitur, qui dividunt hunc « unum » per mentionem naturarum, et addunt per modum excusationis se intuitu mentis tantum *p. 327. * dividere, et ne conentur rationes validas et inconcussas aedi- 20 ficare super aliquid infirmum et stultum, id est super sensum huius formulae « in duabus ». « Ab immundo enim quid mundabitur? » ut dictum est[2]; aut quomodo mendacium fundamentum fiet veritatis? Omnino enim corruptiones quae ab initio proponuntur usque ad haec extrema solent proficere. 25

Haec itaque omnia artificia verborum merito reicientes, aufugimus irrevocabiliter etiam ab eis qui non obliti sunt maculam ignorantiae inducere in Deum propter nos inhumanatum, cum non puderet eos sententiae quae dicit: « in eo sunt omnes thesauri sapientiae et abscondita scientiae[3].» Cum enim 30 nebula vanitatis vere occaecaretur mens eorum, non intellexerunt per infinita testimonia sanctorum patrum quod, cum etiam incarnatus sciret Dominus noster diem consummationis, oeconomice manifestabat se nescire, refrenans impetum mentis nostrae quae ad inaccessibilia currit. 35

Declinamus etiam a via stulta doctrinae Iuliani halicarnassensis, qui dicit ab ipsa unione, id est ab ipsa constitutione in

[1] Vide correctiones. — [2] *Eccli.*, XXXIV, 4. — [3] *Col.*, II, 3.

utero, impassibile, immortale et incorruptibile omnino fuisse corpus sacratissimum et animatum Christi. Haec enim e nugis Marcionis et Valentini, immo et Manis et Eutychis, accepit et contexuit. Etenim per nomen optimum impassibilitatis, immor- 5 talitatis, incorruptibilitatis in voragine hallucinationis se detrusit et eos qui ipsum sequuntur, et proprio marte evertit finem salutarem oeconomiae; cum multa et, ut ita dicam, innumera *argumenta* nobis affirmant * veritatem inhumanationis, verbi *p. 328. gratia conceptio, nativitas, lactatio, circumcisio, incrementum 10 et mutatio staturae, fames, sitis, defatigatio, somnus, perturbatio, angustiae, tristitia, plagae, sputa in faciem, alapae, contemptus, crux, perforationes, dolores, fluxus sanguinis, cicatrices, mors, sepultura, sepulcrum et cetera alia quae dum nobiscum fuit Verbum Deus, et toto tempore quo nobiscum 15 conversatus est, accepit voluntarie in carne pati pro nobis, ut nos edoceret mysterium magnum resurrectionis. Si enim, secundum verbum Pauli[1], quia vere surrexit Christus, nos etiam suscitabit per resurrectionem eius, evidentissime gustavit vere passiones et mortem: sed cum acuitas passionum in corpus 20 passibile agebat, hebescebat in impassibilitatem deitatis. Rursum, clamat Paulus[2]: « Christus mortuus est pro nobis, sicut dicunt Scripturae ». Etiam princeps apostolorum proclamat[3]: « Christus pro nobis passus est in carne »; et rursum: « Christus semel mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro peccato- 25 ribus, ut offerret nos Deo, et mortuus est corpore et vixit spiritu.»

Quomodo autem, o mirabilis Iuliane, sine aberratione potes audire huiusmodi verba? Te enim auctore, omnia haec verba *sanctorum* a Deo inspiratorum falsa sunt, et nihil passionum 30 vere toleravit, sed deceptio est mysterium Christi. Quae utilitas est huiusmodi negocii phantasia pleni, si non revera passus est et surrexit e mortuis, quia nos [per hoc] salvavit. Non igitur [corpus] assumpsit impassibile et immortale natura, quale [tu] blateras fuisse Adamo ante transgressionem. Sin autem, 35 * cogeris fateri, quemadmodum sentis, natura, non autem *p. 329. gratia, immortalem fuisse *Adamum*, et dicis ex inobedientia

[1] Cf. I Cor., VI, 14; II *Cor.*, IV, 14. — [2] Cf. I *Cor.*, XV, 3. — [3] Cf. I PETR., IV, 1; III, 18.

in mortalitatem incidisse, ita et Christum quibusdam peccatis corpus, quod erat natura impassibile et immortale, in passibile et mortale immutavisse. Et in hanc contradictionem incidit sermo tuus, qui statim facit corpus Domini nostri ex immortali mortale. Sed occludit os tuum sententia quae dicit[1]: « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. »

Itaque, quia natura passibile et mortale, et in hoc sensu tantum etiam corruptibile, corpus animatum et sanctissimum assumpsit Verbum Deus, vere permitebat ei pati passiones irreprehensibiles naturae, etiam usque ad mortem, mortem autem crucis; et postquam solvit potestatem inimici nostri, surrexit in incorruptibilitatem, et factus est primogenitus ex mortuis et primitiae dormientium: ipse enim primus suscitavit corpus suum in incorruptibilitatem. Nemo itaque dicat ab ipsa unione corpus Domini nostri impassibile et immortale, sed ab ipsa resurrectione; neque putet eum eodem modo sumpsisse cibum post resurrectionem ac ante mortem. Olim enim, quando necessitas eum invitabat, cibum sumebat sicut nos; cum hoc tamen discrimine quod quando volebat ipse permittebat corpori suo pati passiones naturales et irreprehensibiles: dominus enim erat ipsius naturae; nunc vero, propter veritatem tantum resurrectionis, ob quam etiam foramina clavorum ostendebat, et indicia alia dabat, ne putarent aliud esse corpus * quod apparebat eis, quam illud quod sumpsit e Maria et sibi univit hypostatice, attamen ad incorruptibilitatem translatum.

* p. 330.

Itaque pudore confundantur omnes qui reiciunt resurrectionem corporis, audentes evertere spem nostram magnam, quos, ego dico, ne computari quidem in numero christianorum merito decet. Duae sunt divisiones huius impietatis: quae nunc serpunt et declinant ad paganam insaniam. Ex illis enim sunt qui dicant omnino evanescere et corrumpi id corpus, aliud tamen dari animabus in resurrectione, quod ex nihilo fit et aptum est vitae futurae; horum princeps est Iohannes Grammaticus, dux etiam Tritheitarum. Alii non aperte quidem profitentur corpus in absolutam destructionem resolvi, verum tamen ad eamdem stultitiam sermonis declinant; nam modum quemdam phantasticum resurrectionis inducunt, dum somniant

[1] I Petr., II, 22.

et balbutiant luciditatem quorumdam corporum inconsistantium aut splendori similium; et tali modo aiunt apparuisse Dominum nostrum discipulis suis post resurrectionem, quemadmodum saepius animae sanctorum apparent hominibus, etiam in hac vita. Et cum haec dicant, volunt inter pontifices computari! Commune autem habent ambae factiones quod non hoc corpus resurrecturum sentiant. Quare ad eos dicendum est: Resurrectio eius est quod cadit; nihil autem aliud cadit quam hoc corpus visibile et manibus palpabile: huius ergo est etiam resurrectio ex mortuis, * quam expectamus; cum enim praeter cetera, etiam resurrectionem corporum confitemur, baptizamur. Secus autem — quomodo enim? — non resurrectio inducitur, sed: aut id quod vocatur metempsychosis[1], si corpus aliud ex nihilo assumit et induit anima; aut, id quod gratum paganis aestimatur, luciditas tegumentorum splendori similium. Et haec si quis non valde subtiliter examinet opinionem eorum; sin minus, eis qui profundum eius scrutabuntur, apparebit quod inducat quoddam vanum resurrectionis modum, nihil omnino diversum ab hallucinatione somniorum.

* p. 331.

Sed persuadere conscientias adeo sordidas nimium est. Nunc autem in mentem revocare decet quod doctrina virorum a Deo inspiratorum ubique dicat aequum esse ut corpus quod unitum fuit animae non [privetur] eius retributione, et quod particeps fuit pravarum actionum etiam cum ea patiatur congruum supplicium. Sed si corpus quoddam alienum, ea quae congruunt corpori antea animae unito sibi rapit, id prorsus non placet menti non obliqua cogitanti, nec manifestat iudicium strictum et inflexibile Dei. Et idcirco, Dominus noster docens discipulos suos post resurrectionem ex mortuis cibum petiit et sumpsit, ut eum tangerent permisit, et multis exemplis firmavit eos, ne reputarent spiritum eum quem * videbant, aut eum surrexisse cum corpore alio ac illo quod ab initio habuit, et in quo apparebat eis, quod scilicet incorruptibile erat, donec adscendat in caelum et sedeat ad dexteram Patris. [Et] reliquit[2] pacem eis qui crediderunt in eum, et misit eis

* p. 332.

[1] In marg.: « Metempsychosis est migratio animae de corpore in corpus. » — [2] Vide correctiones. — [3] Vox una periit.

Paracletum, et insevit etiam [spem][1] firmam quod sit venturus cum gloria, in corpore [visibi]li ut adspiciant eum [discipuli] eius, et iudicaturus vivos et mortuos; et regni eius non erit finis.

Haec est confessio fidei nostrae orthodoxae, quam ab initio accepimus e doctrinis evangelicis et apostolicis. Definitionem, symbolum, disciplinam unam sanae fidei habemus: eam quam Nicaeae definivit synodus sancta CCCXVIII *patrum*, illustravit autem et illa virorum a Deo inspiratorum quae Cpoli congregata est adversus Macedonium et adversus reliquos pneumatomachos; eam rursum definivit illa quae Ephesi congrata est propter eiectionem Nestorii impii et eius doctrinarum pravarum: cuius principes illustres et sancti erant Celestinus Romae et Cyrillus Alexandriae. [Hanc] divinam definitionem compendium verae fidei existimamus, et eam vexillum victoriae adversus omnes haereses erigimus; anathematizamus [omnino] cum eis etiam principes et [fautores] earum, et praesertim Valentinum, Sabellium, Marcionem, * Manem, Apollinarium, Eutychen, Iulianum halicarnassensem, etiam Arium, Eunomium, Macedonium, Iohannem Grammaticum,[1] .... Item, anathematizamus Artemonem, Paulum samosatenum, Photinum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Andream, Hibam, Theodoretum, Eutherium tyanensem, Alexandrum hierapolitanum, Irenaeum bigamum, Cyrum, Iohannem aegeatem, Barsaumam persam cum canonibus eius impuris, et omnes qui, sive scriptis sive sine scriptis, loquuti sunt adversus XII Capitula patris nostri, qui cum sanctis, et oecumenici doctoris Cyrilli, aut adversus scriptum eius aliud; et insuper, eos qui dicunt Dominum nostrum ignoravisse diem consummationis vel quidquam aliud ex his quae sunt aut fuerunt aut futura sunt. Christus enim virtus Dei *est* et sapientia Dei. Etiam cum istis anathematizamus synodum Chalcedonis et Tomum Leonis, et eos qui dicunt duas naturas in Christo post unionem ineffabilem, et eos qui ausi sunt aut audent anathematizare patrem nostrum, qui cum sanctis, beatum Severum aut aliquod e scriptis eius divinitus inspiratis[2]...... itaque[3] ...... *......

* p. 333. — * p. 334.

[1] Vox una periit. — [2] Tres voces perierunt. — [3] Decem circiter voces perierunt.

nos in hac confessione orthodoxa fidei, in reprobatione et reiectione doctrinarum impurarum et personarum praedictarum. Et accipimus communionem vobiscum, ego et episcopi Orientis et qui sunt sub auctoritate urbis regiae aut sub alia quacunque et nobiscum sunt; et hanc usque ad consummationem sedulo tenebimus. Et ita exemplar paternae servamus consuetudinis, quod ab antiquo transmissum, per Theodosium patrem nostrum laudabilem ad me devenit, et etiam ad vos transmittimus, rogantes ut haec *communio* perpetuo maneat. Saluta fraternitatem quae apud te est. Salutat te in Domino nostro ea quae apud nos.

Subscriptio: « Valeas in Domino et memor mei sis semper, o sanctissime frater noster. »

Explicit.

Sequitur colophon codicis:

Absolutus est liber iste in sancto monasterio Beth[1]......, diebus venerabilis et piissimi archimandritae Eliae galilaei.

Quicumque legerit hunc librum, oret pro vili[2] et[3] ..... ut misericordiam obtineat in die iudicii, sicut latro qui fuit a dextris. Amen.

[1] Nomen erasum. — [2] Vide correctiones. — [3] Aliquot voces perierunt.

I. — Index biblicus.

II. — SCRIPTORUM EXCERPTA RECITATA.

III. — Index nominum generalis.

IV. — Index monasteriorum et ecclesiarum

A. Monasteria quae *nomine patroni aut fundatoris* designantur.

B. Monasteria et templa *nomine loci* designata.

V. — Sedes episcopales et memorati episcopi.

INDEX TOMI XXXVII.

CORRIGENDA.

I. Menda typographica. — Ad fidem codicis legendum est :

P. 7, l. 6 : ܒܗ
P. 29, l. 26 : ܕܒܫܬ
P. 43, l. 21 : ܒܓܠܠ (pro ܒܓܠܐ).
P. 47, l. 8 : ܕܡ (pro ܕܢܕ).
P. 48, l. 22 : ܠܘܬ (pro ܠܘܐ).
P. 59, l. 5 : ܕܒܓܠܠܬܗ̇
P. 60, l. 22 : ܘܦܪܝܠܘܣ
P. 62, l. 15 : ܡܢ ܪܫܝܬܐ
P. 63, l. 18 : ܘܕܠܒܝܐ
P. 63, l. 23 : ܕܐܠܗܐ
P. 66, l. 18 : ܕܢܫܘܪ (pro ܕܢܣܘܪ).
P. 82, l. 14 : ܒܓܠܦܡ
P. 86, l. 17 : ܒܒܘܕܐ (pro ܒܒܝܘܕܐ).
P. 88, l. 2 : ܐܫܬܕܪ
P. 90, l. 15 : ܠܫܘܕܥܘܬܐ
P. 90, l. 25 : ܐܒܐ ܪܘܚܢܐ
P. 90, l. 26 : ܐܘܓ
P. 93, l. 16 : ܢܣܝܡ
P. 93, l. 20 : ܪܫܐ
P. 97, l. 16 : ܢܫܘܪܒ (pro ܕܫܘܪܒ).
P. 99, l. 3 : ܕܬܣܒܐ (pro ܕܬܣܬܒܐ).
P. 102, l. 17 : ܪܫܝܡܘܬܐ
P. 104, l. 14 : ܘܠܒܬ̈ܠܢܘܗܝ
P. 104, l. 24 : ܐܪ̈ܪܐ (pro ܒܘܪ̈ܐ).
P. 109, l. 20 : ܕܣܒܝܪܘܬܐ
P. 133, l. 18 : ܕܬܐܘܦܘܠܘܓܝܐ
P. 135, l. 30 et 136, l. 5 : ܒܓܒܝܘܬܐ
P. 143, l. 24 : ܬܠܬ
P. 144, l. 22 : ܕܒܠܥܐ
P. 144, l. 25 : ܕܣܓܘܕܘܢ
P. 147, l. 13 : ܘܒܣܝܡܐ
P. 151, l. 4 : ܠܡܫ̈ܒܚܢܘܬܗ̇
P. 162, l. 27 : ܒܟܣܡ
P. 163, l. 10 : ܪܫ ܕܢܗܪܐ (pro ܪܫܐ).
P. 172, l. 5 : ܕܘܝܕ
P. 176, l. 10 : ܕܢܠܡ ܠܐ ܐܬܗܣܒ
P. 180, l. 14 : ܠܗܠܡ
P. 181, l. 19 : ܒܪ̈ܬ (pro ܒܪܬ).
P. 186, l. 1 : ܘܒܦܣ
P. 189, l. 5 : ܕܒܒܕܝܢܐ
P. 203, l. 18 : ܒܫܪܝܬܐ
P. 208, l. 10 : ܓܕܫ
P. 216, l. 25 : ܬܘܒܠܬ
P. 225, l. 6 : ܕܒܪ̈ܝ
P. 226, l. 10 : ܕܓܘܒܬܐ
P. 228, l. 10 : ܘܠܒܪܘܓܘܢܐ
P. 229, l. 14 : ܪܘܚܢܝܬܐ
P. 232, l. 25 : ܕܒ
P. 233, l. 19 : ܒܬܪ ܩܠܝܠ
P. 235, l. 21 : ܘܕܒ̈ܫ
P. 239, l. 15 : ܕܒܓܠܠ
P. 241, l. 3 : ܕܣܒܠܗ̇
P. 242, l. 1 : ܒܪ̈ܝ ܫܢܝܐ
P. 249, l. 12 : ܕܠܘܬ ܗܕܐ
P. 249, l. 13 : ܬܒܥܗܐ
P. 250, l. 9 : ܢܫܬܘܐ
P. 263, l. 9 : ܓܒ ܓܠܝܐ
P. 270, l. 14 : ܕܒܒܒܪ; et ܓܒܐܐ
P. 270, l. 28 : ܫܢܐ ܐܪܐ
P. 284, l. 31 : ܠܐ ܕܡ
P. 287, l. 31 : ܘܒܬܪ ܓܪ̈ܓܡ
P. 290, l. 23 : ܡܢ ܣܗܘܕܐ
P. 294, l. 14 : ܗܘ ܒܬܫܠܠܐ
P. 304, l. 11 : ܒܬܒܪܝܘܬܐ
P. 308, l. 5 : ܒܫܘܒܚܐ

P. 310, l. 28 : ܕܐܟܠܘ
P. 311, l. 2 : ܠܡܠܠܘܟܝܗ
P. 314, l. 16 : ܟܬܝܒܘܬ
P. 317, l. 19 : ܘܠܐ
P. 318, l. 17 : ܡܡܠܠܐ
P. 319, l. 22 : ܢܦܩܘܬܐ
P. 326, l. 13 : ܐܢܛܘܠܝܣ
P. 334, l. 23 : ܒܪܝܐ

II. Emendationes. — In textu :

P. 5, l. 10, lectio fere certa in ms. : ܕܡܢ ܚܠܡܝܢ ܗܠܝܢ
P. 5, l. 24, restitue [ܕܡܬܒܘ]ܩ
P. 15, l. 9, pro ܫܢܝܬ, in cod. potius sit ܫܪܝܬ
P. 19, l. 21, pro ܘܐܬܬܢܝܚ (ms.), leg. ܘܬܬܢܝܚ
P. 54, l. 6, et 55, l. 5, pro ܒܢ̈ܝܗ (ms.), leg. ܒܢܝܗ
P. 63, l. 19, pro ܕܫܒܝܪܘܬܐ (ms.), leg. ܕܫܦܝܪܘܬܐ
P. 69, l. 13, pone punctum post ܫܪܝܪܐ
P. 73, l. 2, ܕܗܘܢ : sic ms. pro ܕܗܘ ܗܘ (cf. p. 105, l. 31).
P. 75, l. 23, pro ܕܡܫܕܒܪܢܘܬܐ (ms.), leg. ܕܡܫܕܒܪܢܘܬܐ
P. 92, l. 19, pro ܡܡܪ̈ܐ (ms.), leg. ܡܡܪܐ
P. 107, l. 27, ms. perperam habet ܢܦܩܝܢ
P. 128, l. 24, pro ܪܢܫ (ms.), leg. ܪ̈ܢܫ
P. 168, l. 18, pro ܘܬܫ̈ܡܫܬܐ (ms.), ܘܬܫ̈ܡܫܬܗܪܐ merito correxit Kleyn.
P. 168, l. 22, pro ܠܬܐܢ̈ܝܐܬܐ (ms.), leg. ܠܬܐܢ̈ܝܬܐ
P. 184, l. 4, pro ܕܢܬܐܟܠܘܢ (ms.), leg. ܕܢܬܟܠܘܢ
P. 212, l. 19, ms. : ܡܢ ܩܕܝܫܐ; coniecimus ܘܡܢ ܩܕ̈ܝܫܐ, sed fortasse quaedam exciderunt.
P. 251, l. 9, habet ms. : ܕܡܡܪܝܢܠܡ; cf. p. 250, l. 9.
P. 254, l. 5, pro ܥܡܘܠܝܐ (ms.), leg. ܥܡܘܠܝܬܐ (?).
P. 263, l. 28, voci ܐܦܣܩܘܦܐ (ms.) puncta pluralis addenda (?).
P. 291, l. 20, pro ܕܡܬܐܡܢܘܬܐ (ms.), leg. ܕܡܬܐܡܢܘܬܐ
P. 303, l. 2, pro ܕܚܝ̈ܐ (ms.), leg. ܕܚܝܐ
P. 305, l. 8, puncto .:. punctum : substitue.
P. 319, l. 7, pro ܡܡܘܢ̈ܐ (ms.), leg. ܡܡܘܢܐ
P. 319, l. 27, pro ܕܢܚܐ (ms.), leg. ܕܢܚܐ
P. 328, l. 26-28, lacunae compleri possunt, l. 26 : ܐ[ܡܗܕ]; l. 27 : ܐ[ܦܪܝ]. l. 28 : ܕ[ܐܪ]ܬ
P. 330, l. 28, leg. ܦܪܝܐ . ܗܘ ܕܡܬܝܢܐ
P. 331, l. 15, probabiliter legendum ܕ[ܒܠ] ܐܟܐ
P. 331, l. 16, potius legendum
ܕܠܘ[ܐ ܢܗܘܐ] ܡܣܘܪܚܢܘܬܗ . ܘܗܘ ܕ[ܡܬܦܣܐ]
P. 331, l. 17, pro ܡܡܗ (ms.), leg. ܡܡ̇ܗ
P. 332, l. 5, restitue [ܘܫ]ܒܩ
P. 332, l. 7, pro ܡܫܪܪܐ, fortasse sit ܘܡܫܪܪܐ

In versione :

P. 37, l. 16, lege «appellationem»; cf. p. 36, l. 28.
P. 48, l. 10, lege «catechetica».
P. 60, l. 7, pro «fulcrum omnium», verte secundum emendationem textus «creator omnium».
P. 60, n. 3, lege «Seleuciae».
P. 62, n. 2. Secundum E. W. Brooks (op. in praefatione laudato) Sergius mortuus est Constantinopoli anno 560, et Paulus consecratus est anno 564. Quae sententia firmis innititur argumentis.
P. 179, n. 2, lege : in Dialogo «inscripto».